



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Pars I. De dignitate Perfectionis sumpta ex eius nominibus, & ex his, quæ per suam naturam illi insunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

exposita, vocati sumus, quod de perfectionis dignitate concepimus, & ex manu Domini prerogatum accepimus, oculis omnium legentium offerre, & verbis, ac sententiis ex Scriptura & Patribus mutuatis, aperire.

Tu verò, ô religiose, qui hæc mea imperita scripta (quatenus mea sunt) non dedignaris perlegere, ne à me fosculos, qui solum intellectum delectent, neque ingeniosa dicta, quæ curiositatem pascant, expectes (neque enim ego tantus sum, ut in hoc tam delicato tempore, in quo tam pulchra, & ornata, & auribus placentia dicuntur, & scriptis in lucem eduntur, aliquid proferre audeam, quod ut acutum & subtile recipiatur, aut scitum & argutum existimetur) sed ea utcumque explicata, quæ cor compungant, quæ proficiendi desiderium accendant, & quæ voluntatem inflamment, exquire. Quia posteaquam ad hoc opus elaborandum accessi, numquam in animum meum induxi (Deus testis est) me ipsum, sed Christum, prædicare, & meam proteruam & duram voluntatem, ac alias meæ similes, ad perfectæ virtutis amorem & sequelam impellere. Absurdum namque putavi, hominem imperitum, & in has extremas orbis partes inter barbaros relegatum, & innumerabilibus corporis molestiis affectum, studium gemendi & orandi remittere, & non paucas horas præsentis fratrum utilitati subtrahere; ut inter tot sapientes & doctos, scriptis meis rudes edocerem, inter tot disertos & eloquentes curiositati inferuirem, & soli intellectui, ubique suavissimas epulas habenti, satisfacere. Voluntates itaque simplices quero; has ut me audiant, ut mea verba auscultent; ut mea scripta relegant, voco: In ipsarum utilitatem laboro, & eas ad perfectionis fastigium obtinendum, aliquid opis afferre desidero. Si tu similem voluntatem habes: & in librorum spiritualium lectione, tuæ animæ correctione & emendationem inquiris, accede, lege, & quæ legeris, in pabulum hominis interioris assumes. Ut verò ad hunc finem emendationis peruenias, rogo te, ne perfectionis magnalia, hoc libro contenta, legas cursim ac festinanter, sed sensim auribus interioribus, ac pedetentim instilles. Animæ medicamina, sicut & corporis, non simul atque adhibentur, tollenda sunt, quia sic, licet per se efficacia, nihil omnino proficiant, sed ad plagam agglutinanda, quæ pus principio moueant, deinde consumant, & demum vulnus obducant, & si fieri potest, ipsam etiã cicatricem deleant, atque submoueant. Hæc ergo, quæ ut medicamenta egrorum nostrarum offerimus, ita sensim paulatimque legantur, ut valeant mentem excitare, sanè vitiorum exhaurire, & nobis optatam

A salutem afferre. Quæ ita legeris, postea meditare, & attenta atque quieta circumpectione cõsidera: Nam si animal non ruminans, ore Domini, immundum est, quo pacto mundus erit religiosus, inter alia ad meditando vocatus, quomodo scilicet munditiam consequetur, si quæ legit, meditatione, & consideratione non ruminat, ut comminura digerat, & in interioris hominis substantiam conuertat? Lectioni igitur meditatio succedat, quæ quod legeris intra teipsum examines, & trutina considerationis appendas, & tuæ indigentia prudenter accommodes. Hac ratione manifestè conspicies quàm parum Christum amas, quàm à longè ipsum sequeris, & eius virtutes imitaris, quàm veræ sanctitatis penuria vexaris, quàm ferè nihil ob tuam magnam ignatiam, priuilegiorum eius experiris, quàm vilis & abiectus permanebis: Quibus malis & spiritualibus indigentis te obnoxium, ac subiectum aduertens, non dubium, quin teipsum deplorabis, & tantam miseram & vitæ abiectiõnem derestaberis, & de cætero, vitam mutare, teipsum vincere, & perfectam virtutem obtinere decernes. Tandem meditationi ardens oratio absolutionem abijciat, cuius præsidio Dominum deprecetur, ut tibi perfectionis possessionem attribuat, perfectorum dona experiri faciat, & aliqua Sanctorum suorum (quæ nunc exponemus) priuilegia concedat. Sic nec tu fructu huius lectionis carebis, neque ego laborem meum huic tractationi impensum frustra laboro, dum ambo proficimus, & Domino manipulos, siue propriæ, siue alienæ emendationis offerimus. A quo verò fructus iste, & in me & in te sperandus est? Certè non à nobis, qui tãquam terra maledicta, non virtutis fructus ex nobismet ipsis, sed vitiorum spinas, & tribulos germinamus: sed à Domino, qui omnium bonorum origo est, eum nobis sperare & postulare debemus. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperi tu manum tuam, & imple omne animal benedictione. ] O benignissime Domine respice nos oculus misericordie tuæ, sperantes in te, & lucè intellectus, ac fortitudinè voluntatis impertire, ut dona sanctis & perfectis viris parata cognoscamus, & ea assequi & obtinere curemus. Aperi nobis famulis tuis nomina, quibus perfectionis decore abscondisti, ut illis bene cognitis perfectionem admiremur; eolue sanctitatis pulchritudinè ex mirabilibus donis, quasi membræ compositam, ut sanctitatis decus & ornamentum amemus. Obijce oculis nostris puritatis affectus, ut tanta dulcedine prouocati, vitiorum amaritudinem abijciamus, & puritatis dulcedinem omniconatu, ac mentis contentione sectemur.

Lent. 11.

Psa. 144.

2.2.9.13. art. 1.

## PARS PRIMA

HUIUS LIBRI DE DIGNITATE PERFECTIONIS,  
sumpta ex multiplici eius nomine, atque ex ipsius natura.

**H**ARITAS suapte natura, Dei amicitia est, cuius gratia, ut Thomas ait, Deus homines non iam seruos, sed amicos vocat, & eo ipso est unio anima cum Deo, & unio inima supra id quod mens humana cogitare potest, si ad sui perfectionem usque procedat. Hanc verò amicitiam, ac Dei & hominis unionem multa nomina sacris literis imposita perfectionis, significant. Quæ in hac tractatione primò explicamus, quia eximiam quandam perfectionis excellentiam patefaciunt, & ex illis ad eius dignitatem propria natura comprehensam descendimus.

*Perfectionis dignitatem ex nominibus, in sacris literis, ei attributis, colligi: ac primo quod vocetur sapientia.*

## CAPVT I.



**N**OMINA rebus indita, si illis optime congruant, certissima indicia sunt earum naturæ & dignitatis. Nam si imago hominis perfecte depicta, eius, aut pulchritudinem, aut deformitatem ostendit; nomen rei alicui impositum, quod ipsius imago est, ab artifice meliori, scilicet ab intellectu, disposita, multo præstantius quam corporalis imago rei, pulchritudinem ac decorem manifestabit. At nomen esse rei nominata, & significatæ imaginem, omnibus manifestum esse non dubito, siue illud, quod intellectu concipitur, siue illud, quod ore profertur, attentè ac pensulatè considerent. Imago quippe nihil aliud est, quam representatio rei, cuius præsidio ipsam rem antea non cognitam, modò cognoscimus, & non in seipsa, sed veluti in quodam substituto ac subrogato conspicimus. Quæ descriptio cuius nomini mirifice conuenit, imò multo perfectius, quam corporum simulachrum nominis virtutè comprehendit. Meditare nunc quid sit nomen ab intellectu conceptum, quod Philosophi verbum metris appellant, & videbis non aliud esse, nisi imaginem referentem & aperientem naturam, & propria rei, quæ oculis vidisti, vel alio externo sensu percepisti, imaginatione cogitasti, & intellectu illius nominis ministerio cognouisti. Quo videlicet nomine intellectus, rei cognitæ natura formatur, & quodammodo vnum efficitur; ad eò, vt dicat summus Philosophus Aristoteles; intellectum, & rem ab eo cognitam, vnum quid esse, & secundum quod ille cognoscit, & ista cognoscitur, nequaquam distingui. Non quia intellectus cognoscetis, & lapidis cogniti sit vna eademque natura (quis vel insanus hoc dicat?) Sed quia qua ratione lapidem intellectus intelligit, lapidis representatione formatur, & conceptione, seu nomine lapidis, quod est imago eius imbuitur, sicut enim rex, & statua aurea regis, si naturas rerum spectes, valde distincta sunt; nam ille est homo, ista aurum; ille viuit, ista minime vitam participat: at si vim representationis aduertas, pro eodem reputantur, quatenus aurum lineamenta regis accipiat, & non iam vestibus, sed figura & imagine eius induitur: ita intellectus cognoscens lapidem, & cognitus lapis naturaliter quidem differunt, quia ille spiritus est, iste corpus; ille facultas viuens, iste omni vita carens; at cognoscibiliter non differunt, quia quod lapis habet, intellectus intelligit, & quod ille gestat, iste nomine, aut conceptu affectus representat. Quam ob rem Filius Dei (vt rem hæc altissima quadam ratione pandamus) qui Sermo, aut Verbum intellectus Patris est, eius figura & imago nominatur. Nam cum sit splendor gloriæ (inquit Paulus) & figura substantiæ eius: Et rursum: Qui est imago Dei inuisibilis; Vt scilicet conceptum mentis, quod nunc vocamus nomen intellectuale, esse rei imaginem, quam representat, ac similitudinem, manifestissimè cognoscamus. Nomen etiam quod in externa voce consistit, & ore profertur, rei nominata est imago, siquidem ad eam significandam, & vt ita dicam, illustrandam, hominum arte & industria excogitatum ac inuentum est. Vnde communis scholæ axiomata processit, ab hominibus nomina loco rerum substitui, quas cum non possint secum in scholas adducere, nomina vice earum subrogarunt. Hic autem fuit sco-

Hebra. 1.

Coloss. 1.

**A**pus illius singularis providentiæ, qua Deus formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam (Angelorum ministerio, si Augustino credimus) vt videret, quid vocaret ea, & quæ ipsis nomina imponeret: Quæ enim exitit huius nominum impositionis utilitas; sanè non alia, nisi vt Adæ posterius plenam ac perfectam scientiam protoparentis agnoscerent, & nominibus tamquam quibusdam signis aptè excogitatis, & quasi quibusdam imaginibus, non tam visui quam auditui seruientibus, rerum naturas & qualitates intelligerent. Quod sacra Scripturæ admirabilis solertia non tacuit, dictis adiungens: Omne enim quod vocauit Adam animæ viuens ipsam est nomen eius. Ac si diceret, ipsum est signum eius; ipsum est imago eius, quam aurium ianuam pulsantem intellectus aduertit, & oculi interni conspiciunt, vt in ea rem nominatam agnoscant. Ac propterea eadem sacra literarum voce nominis ipsam rem significatam, & veluti in nomine depictam intelligunt, & quod dandum est rei ipsi, nomini attribuant. Quale est illud Ezechielis: Tu fili hominis, sume tibi lignum vnum, & scribe super illud Iudæ, & filiorum Israel sociorum eius. Et tolle lignum alterum, & scribe super illud, Ioseph, lignum Ephraim, & cunctæ domus Israel, sociorumque eius. Hæc nomina scripta tribuum Iudæ & Israel, pro ipsi tribubus accipiuntur, quæ sub rege Christo Domino, ac Salvatore nostro in vnum populum iungenda erant: ac in vnam fidelium Ecclesiam vocanda. Si ergo quæuis nomina rectè ab hominibus imposita, rerum vim & dignitatem aperiant, quanto magis nomina à Deo inditata, & hominibus reuelata, rerum naturam, præstantiam & dignitatem patefaciant? Certè in immensum hæc nomina aliis ab hominibus excogitatis sunt preferenda, cum ab eo data sint, qui res, quas fecit, non vtrumque cognoscit, sed perfectissimè comprehendit. Quæ cum ita sint, ab hoc loco perfectionis decorem & pulchritudinem vestigare incipiamus, atque exponamus nomina, quibus Deus eam in sacris paginis declarauit, quæ calcæria nobis erunt ad eam exoptandam, & summis votis ac desiderijs amplectendam.

**O**mnia ergo duobus communibus & vtriusque perfectionis & sanctitatis nominibus, quibus hæcenus vsi sumus, & quorum vim & significationem supra tetigimus; perfectio Christianæ & spiritualis vitæ in sacris literis, sapientia vocata est, qua nihil amabilius, nihil pulchrius, nihil pretiosius hominibus, aut fingi, aut excogitari potest. Hoc nomen perfectioni indidit sanctus Iob dicens? Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Quod notissimum erit, si de quo timore, & de qua recessione à malo loquatur, intelligamus. Neque enim timorem seculæ sapientiam appellat, quo spiritu seruatorum concepto Deum propter horrorem pœnæ timemus, & ante illum, qui nos potest perdere, & in gehennam mittere, trepidamus; sed illi filiorum timorem, ad quem (vt notauit Cassianus) non peccatores, sed sancti prophetici inuitantur eloquijs, dicente psalmographo: Timeo dominum omnes sancti eius; quia nihil deest timentibus eum. Qui timor à charitatis magnitudine generatur: & in quadam verissima reuerentia erga Deum, & in sanctissimo metu offensam aliquam incurrendi consistit. Ille namque timor, qui proprius seruatorum & mancipiorum est, non sapientia, sed initium sapientiæ nominatur. Scriptum est enim: Initium sapientiæ timor Domini. Et alio loco: Timor Domini principium sapientiæ. Quod autè initium tantum est sapientiæ, non potest

Genf. 2.

Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 13.

Genf. 2.

Ezecl. 37.

Lib. 3. c. 1.

Iob. 28.

Cassia. col. 11. c. 13. Psal. 33.

Psal. 110. Psou. 1.

ipsa

ipsa totalis sapientia, aut sapientiae consummatio existimari. Est ergo alij timor à perfecta charitate generatus, illique inseparabiliter coherens, quem perfecta charitas foras non eijcit, sed continuò secum habitare permittit, imò & manere gestit, qui non initiu sapientiae, sed totalis & perfecta sapientia nuncupetur. A quo illa recessio à malo, statim exoritur, qua mens nostra ab omni culpa se subtrahit, non quia poenam timet, non quia infamiam, ac dedecus exhorret, non quia praemium laboris sui & mercedem expectat, sed quia propter Dei amorem, vel minimam offensam perpetrare formidat. Aufcultemus Bedam, an ita hunc locum intelligat. Alter (inquit) timor est, ne quisquam Deum offendant: Alter verò, si offenderit. Ille prior sanctus, & laudabilis; iste alius non habens charitatem, sed poenam. Proinde de hoc praedicabili timore dicit Psalmista: Timor Domini, sanctus permanens in saeculum saeculi. ] De alio timore loquitur Evangelista Ioannes in Epistola sua dicens: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. ] Qui timor utique poenam habet, quia dilectionis meritum non habet. ] Hic autem filiorum timor, & hæc à malo recessio, quam magnitudo charitatis gignit, & omne bonum, faciendum continet, ( quoniam non facere bonum quod debeas, quoddam malum est, & ab hoc etiam timor iste recedit ) ab ipsa perfectione separari non potest; quare si timor Domini, & recessio à malo, sapientia est; liquet quia ipsa vitæ Christianæ perfectio vocetur sapientia. Sub eodem nomine à Sancto Davide perfectionem in Psalmo poenitentiae expressam intelligo, cum ait: Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi: ] Nam ille amator veritatis, qui ita vult misereri, ut iustitiae simul veritatem tueatur, tunc occulta suae sapientiae nobis manifestat, cum perfectam eversionem peccatorum, & omnium virtutum, ac perdita innocentiae extructionem pandit. Eadem verò duo sunt occulta, & incerta perfectionis, quæ perfecta solum abiectione mali, & boni affectione, constat. Hæc sanè sapientiae, ac perfectionis incerta sunt; quoniam nescit homo vitum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta. Hæc sapientiae & perfectionis occulta sunt; quia Spiritus sanctus gratia sua, ubi vult spirat; ] & licet eius vocem audiamus, & indicia nonnulla praesentiae eius experiamur; tamen nullus scit, unde veniat, aut quò vadat, ] & quem in nobis profectum ipse disponat. Hæc tandem occulta sapientiae, & perfectionis, manifestata nobis sunt, cum quid profecerimus per effectus quosdam, quasi per rimulas & cancellos prospicimus, & ex affectuum & cogitationum nostrarum mutatione coniectamur. Prodeat nunc Augustinus, & dicat, an hæc sint occulta & incerta sapientiae mysteria, & perfectionis sacramenta. Quæ occulta (inquit) quæ incerta? Et respondit: Quia Deus ignoscit iniustis. Nihil tam occultum, nihil tam incertum. Quod si iniustitia non aliter, quam per iustitiam tollitur, utrumque occultum, & incertum est, & quòd Deus omnium peccatorum perfectam indulgentiam conferat, & quòd perfectam iustitiam attribuit. Eadem ergo sunt occulta, & incerta sapientiae & perfectionis; eadem sunt vitiosque mysteria, & arcana, atque adeò vna, scilicet perfectio, alterius, scilicet sapientiae nomine, sine illa dubitatione intelligitur.

At Paulus quam aperte perfectionem nomine sapientiae nobilitat! Sapientiam, air, loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non huius saeculi neque principium huius saeculi, qui destruantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est,

A quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. ] Ac si diceret: Imperfectis, & incipientibus ambulare vias Domini, initia sapientiae proponimus, & perfectionis rudimenta praedicamus, quia necdum sunt sublimioris disciplinae capaces: at perfectis & ex consuetudine, virtutis vias spiritualibus vestigiis tenentibus, non iam exordia sapientiae, sed occulta, & abscondita perfectionis, & sanctitatis loquimur, & auribus idoneis ad audiendum ingerimus. Praedicamus inquam illis sapientiam, non huius saeculi rationibus innitentem, neque principum, aut sapientum huius saeculi ratione constantem, qui doctrina spiritus obruuntur; sed potius Dei sapientiam, cuius Deus ipse est magister, & doctor, quam per viros spiritu suo afflatus edocet, & sanctis ac iustis mente intelligendam, & affectu ac opere amplectendam proponit. Hanc praedicamus absconditam, & veluti involutam in mysterio Incarnationis, vitæ, & Passionis & Resurrectionis Christi, preparatam ante saecula, ad glorificationem nostram; quia perfectio nihil aliud est quàm imitatio Christi, cum ipse sit, quem misit Pater in mundum, ut esset totius virtutis & sanctitatis exemplum. Innumera propè sunt loca in sacris literis, in quibus perfectio, aut perfecta virtus, aut perfecta iustitia, sapientia nominatur, quæ, prolixum esset in medium proferre. Solus sapientiae liber in memoriam est revocandus, in quo Dominus sub sapientiae nomine perfectam virtutem tractat, ad eius amplectum inuitat, & ipsius pulchritudinem, ac praestantiam exponit. Ex hoc libro vnum tantum locum, qui pro omnibus sit, citare non praetermittimus. Est, inquit, in illa spiritus intelligentia, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui captat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Et post multa, quæ licet valde huic argumento proficua, vitanda molestiae gratia praeterimus, ita concludit: Et cum sit vna, omnia potest, & in se permanens, omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit. ] Nihil aut clarius, aut excellentius ad hanc rem explicandam potest desiderari. Nam si hæc ab Spiritu sancto ad aliquam rem creatam transferantur, non alij planè, quam perfectioni congruunt. Spiritus enim charitatis perfecta sanctus est; quia sicut calor, manum, cui adhaeret, calidam; ita iste charitatis spiritus, animam, quam afficit, sanctam reddit. Est vnicus in se; quia secundum naturam suam, vnum tantum donum est: Et multiplex; quia profert duodecim illos fructus supra commemoratos, & omnium est virtutum origo. Hic spiritus est subtilis, quia ut melius & perfectius teneat, omnia siue cogitanda, siue agenda, profundissime intuetur ac scrutatur: Disertus, quoniam in rebus diuinis (quod non semel vidimus) linguas infantium, hoc est, hominum ignorantium, & muliercularum balbutientium, facit disertas: Mobilis, quia otiositatem & segnitiam pellit, & ad omne bonum agendum instigat: Incoquinatus, quia omnem iniquitatem detestatur, & exquisitissima diligentia, munditiam in se possidente custodit: Spiritus iste certus est; quia Deo subiectus, & ab eo edoctus, & à pravorum affectuum obscuritatibus elongatus, sine vlla ambiguitate quid, sit agendum, quid omitrendum, diiudicat: Suavis est; quia rerum in quibus multum est negotij difficultatem vincit, & asperitatem, atque acerbiter exagitat: amator boni est: quia, ut ait Paulus, non gaudet super iniquitate, congaudet autè

Beda in  
Iob. c. 28.

Psal. 28.

I. Ioan. 4.

Psal. 50.

Eccle. 9.

Ioan. 3.

Aug. ad  
Psal. 50.

I. Cor. 13.

Sapient. 7.

I. Cor. 13.

veritati; iacutus est; quia scrutatur non solum, quæ ad actionem pertinent, sed etiam profunda Dei, ut eorum consideratione se ad amandum excuscitet. Hunc charitatis ac veræ sapientiæ spiritum, nullus detinet, quin ad magna contendat, quia si est beneficus, & humanus, qui nostræ fragilitati compatitur, est etiam benignus, quia nos ad omne bonum inflammat; stabilis, qui robur, & constantiam præstat; certus de bono successu, qui Deo fidit: Securus; nam à summo protectore defenditur. Quod si imbecillitas, aut insipientia, aut paupertas solent magna opera præpedire, non est, cur hic spiritus charitatis magna aggredi timeat, qui omni pollet fortitudine, omnia cognoscit, & omnium donorum secum adundantiâ habet. Cuius natura, licet nobis abscondita, non tamen omnino occulta, quia intelligibilis est; cuius decor mirabilis, quia mundus est; cuius splendor profunda peruat, quia subtilis est. Deum perfectæ charitas est, quæ cum in se sit vna, ministerio virtutum ab ea emanantium, omnia potest; & cum semper inconcussa permaneat, omnia innovat, & per successiones temporum animabus ad sanctitatem vocatis se benignè confert; homines ad Dei amicos facit; & prophetiæ nonnumquã nec aliorum donorum similibus, participes cõstituit. Hæc sunt perfectionis elogia nomine veræ sapientiæ ab Spiritu sancto nobis exposita, & proprietatibus eius ostensa.

Sed quare perfectio, à diuino spiritu vocatur sapientia? Certè, quia vera sapientia est, quæ sola homines perfectè sapientes facit, & ab stultitia sæculi, & insipientia mundanorum educit. Si enim nomina à Deo rebus imposita, non vacua sunt, sed plena virtutis; non falsa, sed vera, quæ rerum naturas non fingunt, sed vt in se sunt, manifestant; quis dubitet, perfectionem, sapientiæ nomine expositam, vim, ac naturam sapientiæ continere, & homines perfectos, ac sanctos ab omni cæcitate liberare? Qui irridet disciplinam patris sui, stultus est; ] ergo qui eam suscipit, prudens: Qui odit increpationem, insipiens est, ] Ergo qui disciplinam diligit sapiens. Cui charitas præsto non est, cæcus est, & manu tentans, ] ergo qui eam comitem & adiutricem habet, oculis spiritualibus, ne in malum impingat, vniuersa perlustrat. At perfectio est ipsamet charitas, quæ Dei correptionem humiliter suscipit, & disciplinam virtutis diligit, & ne in aliquod crimen incurrat, omnes virtutes & dona Dei, quibus fulciatur, in suam familiaritatem asciscit; igitur ipsa homines videntes, prudentes, ac sapientes reddit; atque adeo est ipsamet lux, ipsa peritia rerum, & ipsa sapientia, Nonne sapientia, si principem eloquentiæ consulamus, est rerum diuinarum & humanarum scientia, cognitioque quæ causâ cuiusque rei sit? ] Sed hæc, si non decipiamus nosmetipsos, & nomine scientiæ, vt æquum est, vtamur, non est alia quàm perfectio, & sanctitas, quæ homines illiteratos, sine libris, sine argumentis, sine disputationibus, ad quemdam ineffabilem cognitionem effert, & rerum non aridam notitiam, sed saporem & experientiam concedit. Nam si humana philosophia eum sapientem vocat, qui Deum intelligit, & cælestia cognoscit, & res diuinas, vt psittacus, docet, nullum earum sensum habens, & magnifica verba pronuntians; quantò feliciori ratione erit sapiens, qui Deum ita intelligit, vt ex hac intelligentia, ad Dei timorem, reuerentiam, & amorem incitetur? Qui ita cælestia cognoscit, vt ex hac cognitione in desiderium cælestium rapiatur; qui res diuinas, non vt auis ratione expers, tractat, sed vt homo ra-

A tione vtens; qui has res exercitatione quæsiuit, experientia didicit, & aliquem earum haustum positus in hac vita suscepit. Si humana doctrina eum sapientem appellat, qui humana discernit, & rerum inferiorum naturas perscrutat; quantò magis ille erit sapiens, qui hæc eadem ita caller, vt earum exilitatem videat, qui ea vt instrumenta salutis moderate suscipiat, & vt virtutis impedimenta contemnat? Si tandem iuxta humanam scientiam ille censeretur sapiens, qui ex effectis rerum, causas earum principiæque deducit, quanto æquius ille sapiens censendus est, qui has proximas rerum causas prætergrediens, quæ à Deo ipso tamquam instrumenta mouentur, in primam causarum causam oculos iniicit, & eam vt fontem omnium bonorum laudat, eique vniuersarum rerum efficientiam attribuens, ob hoc illi sincerissimè famulatur; ipsamque totis præcordiis adorat? Hæc autem omnia perfectus habet, cuius veriore notionem rerum diuinarum & humanarum ex effectis deducimus, cum hic ita diuina intelligat, vt ea diligit, & cupiat, & ad seipsum transferre festinet; ita humana cognoscat, vt diuinis postponat, & propter amorem diuinarum habere contemnat; ita causas perscrutetur, vt non in ipsis ad bonos euentus, sed in prima rerum causâ confidat. O homo, tu sapientem putas magnum Theologum, qui acutè res diuinas explicat, ingeniosè disputat, subtiliter contrariorum rationes dissoluit: licet videas eum superbum, indignandum, vanis honoribus inherentem, & diuitias, ac dignitates, & mundanum splendorem aucupantem: Ego verò sapienterem fuisse existimo pauperem Franciscum, aut laicum religiosum, qui nec disputare, nec profunda exponere, nec syllabas iungere nouit, cum videam illum humilem, mansuetum, & res diuinas, non sicut picam, loquacem, ad arrogantiam, effundentem, sed eas simplici corde intelligentem, & profundissimo affectu venerantem. Qui profectò possit alteri dicere: Tu scientiam habes, & ego opera virtutis habeo: Ostende mihi sapientiam tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus sapientiam meam. ] Si ergo magis operibus quam verbis credendum est, hunc alteri sapientia præstare credamus, quem sapientiæ opera sapientem demonstrant, non argutiæ verba sciolum & arrogantem declarant. Sed quid ego illum sapientem, & istum sapienterem appello, cum, Paulus, qui Spiritu sancto plenus mentiri non potest, illum primum scientia distentum, stultum & insipientem vocet, istum verò stultitia (vt gentibus videtur) prædicationis ornatum sapientiam astruat: De illo & de eius similibus, quid ait? Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. ] Vide quàm inutilis est rerum diuinarum arida, & ieiuna cognitio, ad veram & perfectam sapientiam conferendam, si adsint insipientiæ, id est ingratiitudinis, & superbiæ opera, quæ cognitionem compeditam, & illigatam detinent, & verbis scientiæ contradicunt. De isto verò quid dicit? Nemo se seducat: Si quis viderit inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiet, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. ] At hic qui virtutem colit, puritatèque sectatur, non sibi ipsi blanditur, non de scientia, quæ inflat, gloriatur, non splendida mundi amat, sed ea contemnendo apud mundanos stultus efficitur. Ergo hic sapiens est apud Deum, atque adeo verè sapiens, non sapientia mundi,

quam

Prom. 15.

Prom. 12.

2. Petr. 1.

Iac. 2.

Rom. 1.

1. Cor. 3.

quam Deus insipientiam reputat, sed sapientia Dei, quam mundus perperam stultitiam existimat. Vera igitur sapientia, perfectio est, quae intellectui necessariam cognitionem impertit, & ad voluntatem operae virtutis aggregat, & omne, insipientiae scilicet & iniquitatis, opus excludit.

Matt. 13.

Si haec ita sunt, optime Dominus virum perfectum sapientem nominat, dicens: Omnis scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. ] Quis namque est scriba in regno caelorum, hoc est, ad regnum caelorum, tum praedicandum, tum consequendum idoneus, nisi perfectus vir, qui non ad gehennam, sicut iniqui, non ad seipsum, sicut ambitiosi, sed ad regnum caelorum omnibus manifestandum, & sibi ipsi comparandum, aedificat. Qui similis est homini patrifamilias, id est, Christo (vt interpretatur Anselmus) hominum & Angelorum familias gubernanti, vel infidelium & haereticorum gentes in suum gregem adducenti. Et merito Christo similis dicitur, cum ille (vt inquit Ambrosius) scriba sit velociter scribens nostrae reparationis elogia. Vide, ait, ne scriba sit velociter scribens, verbum Dei quod animae viscera percutiat, & penetret, & inscribat in ea, vel naturae dona, vel gratia: Lingua autem, sit sanctum illud ortu corpus ex Virgine, quo vacuata sunt venena serpentis, & Euangelij opera toto orbe celebranda decursa sunt. ] Huic perfectus vir per omnia similis efficitur, dum de thesauro perfectae virtutis (quam thesauri nomine postea signatam esse dicemus) noua noui hominis opera profert, vt exemplo alios ad virtutem moueat, & vetera veteris hominis opera excutit, & actibus carnis renunciat. Magistrum ergo, ac Saluatorem nostrum, imitantes sancti Ecclesiae Patres, solum virum perfectum acultum, sapientem esse docuerunt. Nam Ambrosius, paulo ante commemoratus, quodam loco ait: Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, & fortitudo: Sapiens ergo idem est animo, non minuitur non augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinae, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicans fide. ] Et rursus alio loco: Hi enim sapientes, & perfecti sunt, qui fidem non magis verbis habent, quam rebus. Et Gregorius Nazianzenus: Is, inquit, mihi sapiens videtur, qui pauca quidem de virtute verba facit, ceterum actionibus ipsis permulta demonstrat, vitaeque integritate orationi fidem auctoritatemque conciliat. Et Augustinus definiens sapientiam, dicit, Eam nihi aliud esse quam pietatem; pietatem vero esse cultum Dei, cultum autem Dei, fide, spe, & charitate constare, atque adeo sapientem esse, qui haec tria perfecte obtinuerit, & secundum ea vitam suam instituerit. ] Nec non & Chrysostomus, explicans, quos Dominus sapientes vocauerit, dicens: Ecce ego mitto ad vos sapientes, & scribas. ] sic ait; verè missi sunt sapientes aduersus haereticos, scilicet patres vestros. Sapientes autem non literati, quorum sapientia non est in sensibus carnalibus posita, & in lingua acquisita per exercitationem carnalem; sed sapientes circa Dei timorem, sapientes circa Dei notitiam, sapientes animo, non corpore; corde, non ore; fide, non verbis; de quibus dicit Propheta: Dexteram tuam sic notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. ] Tandem Hieronymus pulchre perfectum sapientia, & perfectum virtute idem omnino esse putat. Nam in hunc modum scribit: Sapientes bifariam nuncupantur, tam hi, qui sunt plenae perfectae

Ansel. lib.

Ambros. Apolog. David. e. 13.

Ambros. lib. 2. epist. c. 7. ad Simplicianum.

Ambros. in 1. ad Cor. 2. Nazian. orat. in plagam gradinis. Aug. in Enchiridion. c. 2.

Matt. 23. Chrysost. 49. in imperfecto.

Psal. 89.

Hieron. in epist. ad Galat. 1.

A que virtutis, quam illi, qui incipiunt, & in profectu positi sunt. De perfectis dicitur: Mitram ad vos sapientes. ] De incipientibus: argue sapientem, & dilige te. ] Qui enim plenae consummatque virtutis est, correptione non indiget: Haec pauca ex multis similibus Sanctorum Patrum dictis in hunc locum congesimus, vt videamus, quem illi sapientem appellent. Quod si ille, qui rerum labentium mutabilitate non quatitur, affectuum perturbationibus, non imperitur, fidem vita & operibus praestat, notitiam, quam habet, non tam sermone quam actione demonstrat, in fide, spe, & charitate fundata perseuerat, timore Domini regitur, & tanta vitae puritate, vt correptione non egeat, gubernatur, perfectus est, & idem etiam est sapiens, sequitur solum perfectum esse sapientem, ac perfectionem, esse veram consummatamque sapientiam. Vnde sicut dum inter mundanos loquimur, & saeculi doctrinam explicamus, nequaquam vocamus sapientem artis factoria, aut sutoria, aut cuiuspiam similis artis peritum; neque etiam in lectica, aut Philosophia naturali versatum, sed solum illum, qui diuina simul & humana per primas & altissimas causas cognouit, & praestantissimam scientiarum scilicet Theologiam naturalem & supernaturalem acquisiuit; Sic nunc quando ad spirituales viros verba facimus, & altiore doctrinam, nempe spiritus scientiam, exponimus, haudquaquam nomine sapientis dignamur eum, qui intellectu tantum diuina & humana cognoscat, nisi mala à se cognita abijciat, & bona sectetur, & quod ore praedicat, vita & moribus amplectatur. Vera enim sapientia non in sola notione boni & mali, quam iniqui habere possunt, & ipsi daemones habent, sed in ea cognitione, qua malum fugimus, & bonum amplectimur, collocanda est, dicitur Bernardo, Sobria siquidem sapientia est in penititudine peccatorum praeteritorum: in contemptu praesentium comodorum: in desiderio futurorum praemiorum. Inuenisti planè sapientiam, si prioris vitae peccata desleas; Si huius saeculi desiderabilia parui pendas; si aeternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam si tibi horum singula sapiunt, prout sunt, vt haec quidem amara, & omnino fugienda, ista quoque velut caduca & transitoria contemnenda; illa verò vt perfecta bona totis appetenda desideriis, intimo quodam animi sapore diiudices, & discernas. ] Haec quidem optime. Nam si hanc sapientiam obtineatis, quam non superba scientia, sed humilis & discreta virtus impertit, eris non mundo sed Deo sapiens, eris simul sapiens, atque perfectus.

Hanc demum doctrinam sanè verissimam, & ab omnibus verè sapientibus magna voluntate susceptam, ipsi status hominum, fortèque confirmant. Illorum enim quidam iniqui sunt, quidam iusti; iustorum verò quidam sunt ad perfectionem tendentes, quidam pro huius vitae modulo sancti, atque perfecti. Iniqui, sapientes esse, aut reputari non possunt, nisi tu stultissimos homines sapientes putes, qui alia scientes, se ipsos ignorant; qui minima considerantes, magna praetereunt, & cum Dei aliqualem notitiam habeant, quae eos ad maiorem quaerendam incitare debuerat, hanc (& est illa, quae ad Dei reuerentiam, & timorem, ac amorem impellit) omnino aspernantur. Vide quomodo ipsi peccatores sapientia se esse vacuos fateantur. Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur non est mecum. ] Quid namque abyssus & mare significant, nisi scientiae multitudinem vitis cooperatam, & moribus deprauatis scdatam? Vnde Richardus ait: De hac spirituali sapientia abyssus humanae sapientiae dicit, non est in me: & mare (id est

Matt. 23.

Prov. 9.

Bernard.

Iob. 28.

Richard. in Cant. cap. 12.

amaritudo

amaritudo vitiorum) dicit, non est mecum. Abiicienda est ergo hæc carnalis sapientia, & commutanda pro hac spirituali, & sic emendum aurum mundum, & ignitum, & probatum vt locupletes fiamus, & hoc aurum possideamus. ] Superba igitur, & arrogans scientia, quam vitia & peccata damnant, homines verè sapientes non faciunt, sed stultos & cæcos derelinquit. Hi profectò sunt, qui suauiter & lætè viuunt, sicut ille dives epulo, qui induebatur purpura & byllo, & epulabatur quotidie splendide, à qui- bus vera sapientia fugit, qui nò inuenitur in terra sua- uiter uiuentium. ] Scriptum enim est, cor sapientium vbi tristitia est; & cor stultorum vbi lætitia. ] Non itaque sapientes sunt, qui rerum solùm naturas cognoscunt, cum eorum cognitio tam exilis sit, vt nec quæ iudicat bona, suscipiat, nec quæ videt mala, repellat. Si enim secundum sæculum stultus est, qui videns thesaurum non accipit, & videns præcipitium, pedem non refert; quare secundum Deum stultus non erit, qui peccati malitiam cognoscens, ei se libens subdit, & virtutis pulchritudinem ore laudans, operibus vituperat, & à seipso vitæ institutione propulsare contendit? Iusti autem, qui ad perfectionem tendunt, veri quidem philosophi, & amatores sapientiæ vocari possunt; non tamen sunt vocandi omnino sapientes, quia non nihil quidem huius veræ sapientiæ, scilicet perfectionis, didicerunt, nondum tamen eius sublimitatem comparauerunt. Quemadmodum quippe in literarum scholis, hi discipuli sunt, & scientiarum sectatores, qui aduersus ignorantiam bellum gerunt, & rerum cognitionem audiendo, legendo, & disputando, & interrogando acquirunt; illi verò sunt doctores, atque magistri, qui iam ad scientiarum culmen peruenerunt, & quas veritates perfectè cognoscunt, in alios per doctrinam effundunt: Ita in academia spiritus, & in schola virtutis sunt multi, qui virtutem addiscunt, & tamquam discipuli curant ad altiora conscendere, & virtutis accipere disciplinam; & sunt pauci, qui ad perfectam virtutem vsque proeucti, sapientium nomine digni censentur, & nò tam verbo quam sanctissimo actionis exemplo in virtutis magistris aliis donantur. Est autem similitudo apprime conueniens; nam si sapientes sæculi numquam tanti sciunt, quin possint multo plura, & sublimiora cognoscere; ita sapientes Dei, id est, perfecti, numquam tam magnam virtutem ac puritatem assequuntur, quin possint maiorem assequi, & ad feliciorum sanctitatem ascendere. Iustus ergo, necdum perfectus, dicitur, tamquam studiosi sapientiæ discipulis: Audite filii disciplinam patris, & attendite, vt sciatis prudentiam. ] Iustus verò perfectus tamquam magister, illud etiam Salomonis iniungitur: argue sapientem, & dilige te; da sapienti, id est, discipulo sapientiæ, occasionem, & addetur ei sapientia: Doce iustum & festinabit accipere. ] Ad hos namque omnes pertinet imperfectio- nes arguere, occasione proficiendi dare, & veram virtutem docere, non tam sermone quam opere, & purissima sanctitatis actione.

Perfectio itaque spiritualis vitæ, vera sapientia est, quæ ab vtilioribus & magis necessariis exordiens, peccata & vitia radicibus euellit, virtutes inserit, bonis operibus diligenter intendit, & similitudinè creatoris exquirat; postea verò lucè, & rerum supernarum cognitionem infert, qua homo eruditus à Domino, nò superbit, sed modestior fit, nò sola curiositate, sed vera deuotione pascitur, nò obliuiscus verbi auditor, sed sedulus operator efficitur. Tu ergo, ô religiose, qui ob amorè sapientiæ tam multa didicisti, tam subtilia legisti, tam profunda querendo, & disputando

A inuenisti, & in hac improba occupatione, quam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea, ] tempus impendisti, vitæ consumpsisti, vires exhaustisti; ex- pende quæso, quàm sis à vera sapientia alienus, si noti- tiæ rerum humanarum; & diuinarum minime virtutem iungis, & rationem disputandi sciens, viam humilitatis, & perfectæ charitatis ignoras: Nam si vera sapientia (vt dixit Lactantius) non potest cuiquam sine scientia & virtute contingere; quomodo te sapientem appellabo, quem scientia inflans dementatum tenet, & charitas ardescens in sui contubernium non retinet? Si sapientia (vt ait Nazianzenus) ad Dei amorè nos subuehit, & ex seruis iam amicos, ac filios efficit, quam ratione te sapientem existimabo, quem verus Dei amor seruum non nouit, & Christus, nec amicum, nec filium agnoscit? Alia igitur via sapientiæ quærenda est, quam, vt credo, Dei aspirante gratia facillimè inuenies, si immoderatam scientiæ amo- rem amputaueris, si prudentiæ tuæ, iuxta dictum Salomonis, modum posueris. ] si te ipsum pro desiderio humilitatis abscederis, si vitia, & affectus tui cordis conculcaueris, si mundum sperneris, si vniuersis virtutibus conquirendis insisteris, si Christi Dei, & hominis scilicet sapientiæ increata amore gustaueris, & eius continuum alloquium, & conspectum, & iugem meditationem quaesieris. Hæc enim vera sapientia est, mala fugere, vilia & abiecta contem- nere; magna, nempe cælestia, concupiscere, & mentis puritatem consecrari.

C *Perfectionem vocari drachmam, qua felicitatem coëmimus.*

#### CAPVT II.



AM alterum perfectionis nomen ex- pendamus, quod eius occultam, & tectam pulchritudinem amplius edisserat, & apertam ac propalatum in animos nostros inferat, & tanti decoris amorè & desiderium accendat. Perfectionem quidè existimo vocari drachmam, quæ mulier illa Euangelica primò quidè perdidit, deinde non sine magno labore quaesit, & quaesitam inuenit, & postmodum conuocatis foemina, amicis atque vicinis, ad lætitiã, ob drach- mæ inuentionem, inuitauit, & congratulationem requisit. Hanc verò esse mysticam, & arcanam drachmæ significationem, Augustinus me docet, dum per vnam orem perditam, & vnam drachmam perditam, quod homini deficit, ad absolutam iustitiam, intelligit. Ideò, inquit, illas nonaginta nouem dixit, quas reliquit in deserto, quia superbos significat, tanquam solitudinem gerentes in animo, quibus ad perfectionem vnitas deest. ] Et statim: Ideòque in nonaginta nouem oibus, & in nouem drachmis ponit eorum significationem, qui de se præsumentes, peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt: vnum enim deest ad nouem, vt decem sint, & ad nonaginta nouem, vt centum sint. ] Et tandem concludit: ipsum verò vnum sine varietate in se manens, cum accesserit, perficit. ] Sicut ergo nouem drachmæ non perditæ, & apud mulierem permanè- tes superbos, imperfectos, ac peccatores designant: ita decima drachma primùm quidem perditæ, & deinde reperta, perfectionem significat, qua nouem drachmæ, id est, peccatores, ad denarium accedunt, & malitiam deserentes, mentis sanctitatem acquirunt. Neclongè distat ab hac interpretatione Gre- gorius, per drachmam perditam, similitudinem crea-

Ecclesi.

Lact. 3. diuin. inst. 6. 9.

Nazian. oration. in laudem Athanasii.

Prou. 23.

Luc. 15.

Aug. lib. 2. 77. Euan. 9. 32.

toris

Greg. bñ.  
34. 18  
Evang.

toris intelligens. Et quia imago, ait, exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando, à similitudine sui conditoris recessit. Gregorio Beda eisdem omnino verbis accedit, Si verò perfectio (ve diximus) est quadam similitudo Dei, qua homo veterem parentem exiit, & nouum induit, ac Christi fratrem, & Dei filium, & heredem se exhibet, quid est drachmam perditam creatoris similitudinem designare, nisi ipsam perfectionem & mentis sanctitatem referre? Multò tamen clariùs Gregorius Nyssenus eidem sententiæ subscribit, dicens: Redemptorem nostrum drachmæ parabola significare voluisse, nullà nos à cæteris virtutibus (quas drachmas vocat) utilitatè perceptoros, si desit drachma perditam, ea scilicet virtus, qua diuinæ similitudinis nitore fortimur. At quænam virtus est, qua nobis diuinæ similitudinis nitorem imperit, nisi charitas, quam ad certum gradum prouectam, animæ perfectione esse didicimus? Satis ergo compertum est ex his, drachmæ nomine perfectionem vitæ spiritualis esse depictam, & veluti propriis coloribus adumbratam.

Gregor.  
Nyssen.

Nunc verò quare perfectionem Dominus drachmam vocet, diligenter inquiramus, & sub hoc rei exigua, & non nimis pretiosa, nomine incredibile sanctitatis pretium vestigemus. Vocatur sanè drachma, quoniam perfectionis qualitas hac moneta describitur, cuius non dico similitudinem, sed quodammodo naturam etiam, ac virtutem vsurpat. Nam drachma moneta est, & eo ipso figuræ rotundæ, quam omnes nationes in numismatibus communiter teneant. Erat autem moneta argentea decem in se nummos continens, imagine principis, aut regis eam cudentis insignita. Sic profectò vitæ Christianæ perfectio numisma est, quo non panem, non vinum, non vestem, nò res perituras emimus; sed cibum animæ, delicias cælestes, immortalitatis indumenta, & semper duraturam felicitatem comparamus. Ipsa est pecunia cui optimè illud Salomonis accommodare possumus: Et pecuniæ obediunt omnia, ] quia illi obediunt cælestia atque terrestria; prospera & aduersa deseruiunt; maiora & minora famulantur, dum vniuersa perfectis ac sanctis se subdunt, & eorum vsibus (quos Dominus omnium filios & amicos agnoscit) libenter proficiunt. Pecunia illi, quam Reges terræ prouidit, obediunt fortassis omnia terrena, quæ quia bene considerata ferè nihil sunt, potiùs nihil quam omnia nominantur, ac idè pecuniæ obedit nihil, at perfectæ virtuti absolutè & sine vlla limitatione parent vniuersa, quia eius precibus ac desiderijs, eius fletibus & lacrymis Deus ipse omnium auctor, ac Dominus condescendit, & ob bonum sanctorum suorum ipsam naturam interdum mutat, mirabilia, & humana imbecillitati impossibilia parat, & in legibus à se latis benignè dispensat. Certè si pecuniæ obediunt omnia fragilia, quæ vitæ mortali videntur necessaria; at non parèt illi cælum, quod spiritu pauperes rapiunt, non diuites superbi diripiunt; non parèt illi terra, quam innocentia custodiuit, & saturitas, ac rerum visibilibus abundantia profligauit: non parèt illi mare, quod sapissimè iustorum oratione sedatum est, & aurum, atque argentum malorum abforbuit: non parèt illi vita, quam pecunia perpetuam non fecit; non parèt illi mors, quam non placuit, nec depulit: non obediunt illi multa alia, quæ pecuniæ vsus numquam sibi prostrauit. At huic pecuniæ, huic monete, huic drachmæ aspectui oculorum paruissima, & cognitioni mentis eximia, omnia sine vlla exceptione parent, omnia sine vilo signo difficultatis obediunt. Quid enim est, quod non obe-

Eccle. 10.

A diat sanctitati? Quid quod non subdatur animæ puritati? Quid quod non se perfectæ virtuti subiciat? Vis vt obediat illi terra? Sed rex iustus erigit terram, nò opibus, sed iustitia sua; & vir auarus destruet eam. ] Hanc peccata Sodomorum destruxerunt, quam inter tam copiosam iniquorum cateruam, decem iustorum virtutes obtinissent, & ab incendio, & malorù cade seruassent. Vis obediat illi mari? Sed iustus est, qui dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: ] Et vnus eorum virtute sua, penè iam demersus mare vincit, sauisssimam tempestatem cohibet, & præsentissimo discrimini expositis salutem & incolumitatem promittit. Amisso, inquit, nullius animæ erit ex vobis præterquam nauis. ] Vis obediat illi cælum? Sed iusto tamquam Domino suo cælum apertum est. Nam si audieris, ó homo, vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, aperiet Dominus thesaurù suum optimum, cælum; vt tribuat pluuia terræ tuæ in tempore suo, iustus cælis imperat, & tamquam rex illis leges imponit, & solem, & lunam in medio cursu sola voce & imperio tamquam habenis mirabiliter detinet; sicut fecit Iosue, dicens: Sol contra Gabaon ne mouearis; & luna contra vallem Aialon. ] Vis obediat illi vita? Sed qui perfectam virtutem inuenit, inuenit vitam, & hauriet salutem à Domino. ] Ac Idè Ezechias ob vitæ sanctitudinem, vitã à Domino miraculosè impetrauit, & quam natura negabat, cõcessit, tamquam vitæ hera, atque domina (ò res stupenda) ipsius conuersationis integritas. Obsecro Domine, dixit, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. ] Cor perfectum, & anni in veritate transacti, cor Domini emollierunt, morbum immedicabile depulerunt, portas mortis vestibibus ac feris, ne ad feriendum exiret, munierunt, salutem & incolumitatem impetrarunt. Vis obediat illi mors? Sed iustus venientem æquo animo expectat, accedentem sustinet, & vt initium vitæ melioris admittit. Vinit ergo cum moritur, & secundum exteriorem speciem victus à morte, mortem ipsam vincit & proterit, eamque conculcans, ac veluti scabellum pedum suorum faciens, vitam immortalem apprehendit, quàm, nisi in hoc scabellum pedes figeret, non posset accipere. Nec solùm in seipso, sed in alijs etiam iustus morti imperat. Nam & Elifæus vita functus, mortuum ad vitam reuocauit, & corpus eius examine, animam cadaueri ipsum tangenti, & vitæ calorem impertit. Vis tandem obediat illi Deus? Sed Deus quodammodo iustis & sanctis parèt, dum ad eorum voluntatem faciendam se demittit. Oculi perfectò Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. ] Quòd si oculi seruorum in manibus dominorum suorum; & oculi ancillæ in manibus dominae suæ; ] ille qui naturaliter iustorum, & omnium est Dominus, seruos, & ancillas, certa quadam ratione imitatur, dum benignè iustos respicit, & promptè ipsorum voluntatè exequitur. Huic ergo pecuniæ obediunt omnia; huic drachmæ parent vniuersa, quia nihil est tam arduum, atque difficile, quod vera virtus non teneat; nihil tam magnum, atque pretiosum, quod perfectio non obtineat; nihil tam excelsum, atque sublime, quod sanctitatis ac puritatis animæ subterfugiat imperium.

Perfectio igitur drachma est, quia si drachmæ in pretium rerum venalium inuenta sunt, ipsa perfectio, ac vitæ innocentia est, qua emimus vitam, mercamur felicitatem, comparamus regnum cælorum. Nónne singula res venales suum certum pretium

Prou. 29.

Genes. 18.

Psal. 71.

Aff. 17.

Deut. 28.

Iosue. 10.

Prou. 8.

4. Reg. 20

Prou. 10.

4. Reg. 13.

Psal. 33.

Psal. 122.

habent,



habent, & hæc, verbi gratia, vestis decem aureis digna censetur: sed regnum caelorum sola drachma perfectionis emitur decem nummos habente, quam qui in pretium non integram & absolutam obrulerit, nequaquam caelesti regno ditabitur. Paradoxum videbitur hoc, sed est quidem verissimum; prius verò quàm id explicemus, perfectionem esse regni caelorum pretium astruamus. Dicat nobis Ambrosius, quodnam sit pretium in commutationem vitæ immortalis dandum. Pretium nostrum (inquit) pudicitia est, quæ nos separat à pecoribus, Angelis iungit. Pretium nostrum misericordia est, quæ nos dum confertur inopibus, redimit à morte. Pretium nostrum fides est, quæ omnes homines gentili errore, & seruitute depressos, Christo acquisiuit. Pretium nostrum bona existimatio est, quia vnusquisque nostrum meritum series æstimatur. Pretium nostrum munditia, atque simplicitas est, quia scriptum est: Possessio pretiosa vir mundus. Nihil enim pretiosius vico simplici. Vnde Apostolus pulchre: Abundauit, inquit, in diuitiis simplicitatis suæ. Quid enim simplicitate ditius, quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, & sua puritate contenta non querit alium, neque abrodit, sed de se ceteros fingit. Vocat ergo pretium nostrum virtutum, ac bonorum operum cumulum, quod nullo modo ab ipsa perfectione secerit. Et in eandem sententiam Augustinus, cum dixisset, beatitudinem tantum valere, quantum quisque est, cuiusdam propositæ obiectioni respondet. Sed malus sum (inquit) & fortè me non accipit? Dando te illi, bonus eris. Vt huic fidei, promissioni; te des, hoc est, bonum esse. Cum autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris, & habebis non quod dixi solum, salutem, incolamitatem, vitam, & sine fine vitam, nõ hoc solum habebis, adhuc alia tollo. Non ibi erit lassari, & dormire; non ibi erit esurire, & sitire; non ibi erit crescere, & senescere, & cetera. Bonum ergo esse, id est, perfectum esse, pretium est vitæ, quam speramus in perpetuum duraturæ. Quod pretium aduersarij humani generis à nobis conantur surripere, dum nos ad noxium teporem, & ad ignauiam, & foecordiam instigant. Vnde sanctus David his dæmonum tendiculis maiorem proficiendi curam, & diligentiam opponit, dum ait: Pretium meum cogitauerunt repellere; curre in siti. Nam si vos, ò hostes mei, pretium meum, & drachmam meam, id est, virtutem perfectam, qua sum præmium æternum empturus, auferre nitimini, curram alacriter, ac sitibundè virtutis vias, & ad Deum liberatorem velociter fugiam, qui cursus perfectionis pretium à vestris vnguibus liberabit. De eo etiam illud Ecclesiastici potest intelligi: Est qui redimat multa modico pretio, & restituens ea in septuplum. An non vitæ perfectio modicum pretium est, si quidem dragma est? An non modicum pretium est, si quidem in presenti quid momentaneum, & leue tribulationis est? Sed hoc modico pretio multa redimimus, quia supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et tunc in septuplum ea multa restituemus, cum, eisdem quæ data sunt nobis, Domino per æternitatem seruiemus, & ob ea, quæ numquam sunt finem habitura, Dominum sine fine laudabimus. Meritò sanè illa mulier Evangelica veluti aliarum noxam drachmarum oblitæ, quæ sibi supererat, hanc decimam, quam sibi deesse cognouerat, tanta sollicitudine & cura conquirat, tanta felicitate valeant ad felicitatem consequendam, sed sine hac decima, numquam in eius possessionem veniet, nec actu admitteret in regno caelorum.

An hoc verum est? Certè verum. Nullus igitur

A imperfectus, licet sit iustus, in gloriam intrabit? Prorsus nullus, quousque imperfectiones exuat, & perfectionis vestimentum induat. Habent quidem iusti omnes, licet necdum ad perfectionem charitatis peruenierint, ius ad regnum consequendum, sed quousque perficiantur, possessionem regni non accipient. Quare enim animabus, cum aliqua leui culpa decedentibus, in ipso momento separationis à corpore feruens actus contritionis, & charitatis datur (vt Thomas, & alij Theologi aiunt) nisi vt ab imperfectionibus, & leuibus culpis mudentur? Quare eisdem in Purgatorio igne tempus purgationis indicitur, nisi vt ab omnino liberae, & (vt sponsas Christi delect) perfecte compætæ, atque politæ in sponsi thalamum admittantur? Quare scriptum est in Apocalypsi, Quia non intrabit in eam ciuitatem caelestem aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mædaciū; nisi quia ante ingressum non solum graua crimina deponenda sunt, sed etiam leuia peccata, & imperfectiones, quæ nomine mendacij designantur, relinquendæ? Quare fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum nisi quia sicut solis integra & perfecta est pulchritudo, ita in vitiis iustis nulla erit in caelesti patria imperfectionis aut impuritatibus obsecuritas. Sicut ergo aurum, atque argentum è terræ venis eductum, dum terræ, aut scoriæ mistum est, ad regis quidem ius, & dominium pertinet; sed donec purgetur, & ab omni sorde separatur, conspectui regis nõ offertur, neque in eius thesauros & gazas admittitur: Ita iusti dum imperfecti sunt, non sunt scoriæ, nec æramenta sterquilino inferni deputanda, sed metalla pretiosa auri, & argenti, in thesauro Domini recondenda: at gemmis, & alijs pretiosis, & mundis metallis non adiunguntur, quousque ab omni imperfectione depurgentur, & omnino munda ab omni labe, aut in hac aut in alia vita reddantur. Et quemadmodum aurum terræ, aut alienæ materiæ permixtum multum videtur, at cum igni probatur, & sordibusque mundatur, quantum sit agnoscitur, & eius valor peruidetur; sic multorum iustorum virtus, quæ in hac vita magna & eximia nobis apparet, apud Dominum ab imperfectione purgata, & à naturæ inclinatione, & humana laude, & à præpostera intèrione, & alijs similibus segregata, munda quidem, & perfecta, sed satis exigua iudicabitur. Hæc autem sola

D ab omni face defæcata, & ad perfectionem reuocata caelorum regnū promerebitur. Perfectio ergo drachma est, denarium substantiæ nostræ complens, atque perficiens, quo diuites & nobiles reputamur, & in terram viuentium, atque in aulam æterni regis admittimur. Quare sicut Galaaditæ Iordanis vada occupantes, vt suos agnoscerent, huius vocis, Schibboleth ab eis prolationem exigebat, quæ interpretatur, spica, & non valentes apte proferre, & schibboleth, id est, onus dicentes, iugulabant: Ita Angeli ingressum caelestis regni custodientes, quosdam quidem repellunt, scilicet iniquos & peccatores, atque ab illis æternis sedibus non sine indignatione deiciunt; alios verò dicentes, schibboleth, & imperfectionum onera confitentes, mitiori pœna castigant, eosque ab ingressu arcent, & in purgatorio detinent, donec leniores culpas exoluant, imperfectiones exuant, oneræque deponant: Et solos eos, qui spicam bene proferunt, & fructum virtutis perfectum ostendunt, vadunt transire, & ad locum pacis venire permittunt. Optimè itaque perfectio vocari potest pretij summum, aut postrema pars prius à iustis soluenda, quàm caeleste regnum adipiscantur. Nam si negotiatores huius sæculi, solent aliquam gemmam pretiosissimam apud seiplos detinere, & in possessionem emptoris nõ dare,

quo

Ambrosius  
Psal. 61.

Prout. 12.  
1. Cor. 8.

Aug. ser.  
64. in  
uerybo Do  
mini c. 3.

Psal. 61.

Ecl. 20.

1. Cor. 4.

Apo. 21.

Mat. 13.

Iudic. 22.

quo usque pretium eius usque ad vltimum quadrante sibi solatur, quid mirum si Deus gloriam suam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, emptoribus, id est, iustis possidendam non tribuat, donec sibi vltimam pretij drachmam, id est, sanctitatem & perfectionem, exoluant? Si primam drachmam, si secundam, si usque ad nonam offerant, id est, si actus nunc huius, & statim illius virtutis exercent, illa quidem in partem debiti pretij admittentur, & vt merita beatitudinis accipientur, ac decimam drachmam soluant oportet, & ad ipsam vel magnam, vel minorem perfectionem perueniant, & omnes defectus ac imperfectiones relinquunt, antequam felicitatis gemmam assequantur.

Ex his manifestè perspicitur, perfectionem spiritualis vite pretiū esse beatitudinis, sed vnde constat esse drachmam? Cum enim omnis pecunia, aut omnis moneta ad rerum vtilium pretium pertineat, quare perfectio, quæ beatitudinis pretium est, non potius nummus argenteus, aut aureus, aut siclus, aut talentū, aut aliud simile dicitur, sed necessario drachma nominabitur? Certè idèd, quia drachmæ, & non cuiusque, sed drachmæ perditæ proprietates habet. Neque enim perfectioni drachmæ rotunditas deficit, quæ sicut circulus quidem in eodem puncto incipiens, & desinens, à Deo nos vocante, & trahente incipit, atque in Deum reuertitur, & in eius visione, & possessione omnino perficitur. Et idcirco ait Dominus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit, me, & traxerit eum. ] Nec materia; nam perfectio non deargentata est, vt hypocritis, quæ quod non est se esse mentitur, sed verè argentea, idem interiùs præferens, quod exteriùs specie declarat. Si enim argentum (vt Augustinus & Gregorius annotarunt) Domini castra, & pura eloquia designat, quidni perfectio sit argentea, siquidè nihil aliud est, quàm ipsam Domini eloquium, non iam stylo in membranis conscriptum, sed opere, & vita in iustorum visceribus delineatum. Nec valor drachmæ perfectioni deest: Si enim drachma decem nummis constat, perfectio decem mandatorum custodiam, & omnium virtutum summam comprehendit, ab eaque longè abest, qui vel minimum Domini præceptum transgreditur. Nam si mandatum præteriens iniquus est, quomodo poterit esse perfectus. Si offensus in vno, factus est omnium reus; ] quomodo liber erit, amicus iudicis, aliorum iudex, & virtutis ac fidelitatis exemplar? Nec tandem perfectioni tamquam bonæ drachmæ deficit regis eam eudentis inscriptio, quia perfectio est imago, & similitudo Dei, quam operibus bonis depingimus, & in pura vita, ac sancta conuersatione gestamus. Quare Basilius ait: Qui in seipso, quantum in ipso sit, naturæ diuinæ libertatam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defœdatam priùs in animo suo Dei imaginem, restituit pristino nitore. Qui verò eo modo, quo diximus, Deo se similem effecerit, is prorsus diuinæ etiam vitæ similitudinem acquisiuit. ] Vide quàm verum sit perfectionem tamquam bonam monetam imagine summi regis esse descriptam, quam ob eius solum gloriam habere curemus, vt Cæsari, quod Cæsaris est, Deo autem, quod

Dei est; ] promptissima deuotione reddamus. Hanc drachmam vtique decem, quia aliis nouem, id est, omnibus virtutibus complementum addit, & ad numeri consummationem adducit, primus parès Adam perdidit, cum ob inobedientiam, innocentia decus amisit. Et propterea mulieri meritò comparatur, quia peccando, & comparis vocem audiendo, ad femineam infirmitatem flexit, & virile robur ablegauit. Sancti autem, & perfecti viri drachmam quæse-

**A** runt, cum laboribus & ærumnis, & sui ipsorum victoria, Dei gratia, & fauore fulcita, assequi innocentiam perditam laborarunt.

Tu ergo, ô religiose, si necdum drachmam intuenisti, si necdum ad perfectionem venisti; eam omnibus desiderijs, & votis inquire, & ad eam tamquàm ad pretiū eternæ felicitatis aspira. Certus sis, quoniam hoc pretium possidens, & istam drachmam in sinu tui cordis recondens, paupertatis votum, quod emisisti, non franges, sed pauperior, & Deo fidelior efficietis. Pecuniam quidem terrenam, quam diuites huius sæculi tanta sollicitudine quarunt, tanta auiditate recondunt, tam immoderato amore possident, status religiosus non sustinet; at drachmam istam non contemnit, sed cupit; nõ abiecit, sed amplectitur; non refugit, sed in hoc totus positus est, vt eam habere, & habitam angere, & usque ad decorem cælestis patriæ promouere procuret. Si illi tanto labore pecunias lucrantur, vt in eis itaquam in vilissimo cæno sepulti, & immergi hæreant, & sapè eternam mortem, & incomparabilem mendicitatem coerant; quanta cura, & sollicitudine deberes tu hanc drachmam inquire, & tui victoria, ac mundi contemptu, & operibus sanctis, & exercitationibus deuotis lucrari, vt à cæno vitiatorum in cælum efferaris, in vitam tranquillam, & pacatam extollaris, & veras diuitias & thesauros immensi valoris merceris: Si illi pecuniam sitientes, spinas & tribulos quibus pungantur, & curas inanes, & sollicitudines turbulentas exquirunt: Nam saturitas diuitis (vt inquit Salomon) non sinit eum dormire: ] quare tu hanc drachmam non sities, cuius præfidio, non spinas, quæ pungant, sed cælestes consolationes, quæ te delectent, congregabis, & vitam quietam, & bono pacatæ conscientia lætam, & ineffabili tranquillitate referentem, inuenies? Illi omnibus alienis, & suo proposito minus conuenientibus negotijs se expediunt; vt lutum album, & pallidum coaceruunt, quod eos, vt verum lutum inficiat, & vt infidèle, in tēpore necessitatis, atque in hora mortis deserat; & tu vanis desiderijs, & curis ineptis, ac negotijs ab statu religioso alienis te intricabis, quando esses verum argentū, & verum aurū lucraturus, id est, verā animæ puritatem, & incomprehensibilem felicitatē meritis & sanctis operibus adepturus, quæ in postrema hora fidelissimam comitem se præbebit, & nunquam te deseret, nõquam derelinquet? Quis hoc credat? quis hanc cæcitatem non delectat? quis hanc hominis insaniam non deplorat? quis non obstupefeat, videns, quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt? ] Diuitiū scopus est, diuitias possidere, & tunc scopus est perfectionis drachmā comparare: illorum officium est pecunias congerere, & tuum munus est decem drachmas, id est, omnes virtutes (quibus prohi dolor, & non aliqua tantum cares) in conclaui tui cordis abscondere: Illi ad mensam sedent, mercimonia tractant, & rationem dati, & accepti habent, ne sua cupiditate fraudati remaneant; & tu ad cœtum religiosorum venisti, solus in cella con-sedisti, viam virtutis arripuisti, ne tuo desiderio frustreris, & sanctitatem assequaris. Quare ergo obliuisceris finem tuum? quare posthabes munus tuū? quare non insistis negotio tuo, saltem vt illi insistat suo, vt diuites non in hac lacrymarū valle, sed in cælesti patria efficiaris, & magnus, ac honoratus, non inter infames homines, sed inter sanctos, & Angelos appelleris: Ne pusillanimitas te detineat, ne labor negotiandi & querendi te deterreat, quia vna sola drachma est, quā debes acquirere, & ea acquisita poteris à labore cessare. Quis tam excors, quis rā imbecillus, quis tam infirmus, & omni ope humana destitutus, qui vnā

**B**

**C**

**D**

**E**

Ioann. 6.

Aug. ad  
Psalm. 8.  
Greg. 4.  
mor. c. 28.

Iacob. 2.

Basili. lib.  
1. de inst.  
monach.  
ante reg.  
suscep.

Matt. 22.

Eccles. 5

Luc. 15.

4. Reg. 5.

solam drachmam innumeris Dei auxiliis fultus lucrari non possit: Quidnam aiunt pueri Naaman, cum suum dominum indignatem, & remedium suae munditiae detrectantem aspiciunt? Profecto in hac verba prorumpunt: Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi, Lauare & mundaberis? ] Ita si rem grandem tibi dixissemus, vt esses sanctus, atque perfectus, certe facere debuisses, & omnem tuam curam, omnem diligentiam, omnes vires, & nervos in hanc rem tam eximiam, ac illustrem impendis; quanto magis cum dicitur tibi, quod sanctus eris, si vnam tantum drachmam lucreris, & vnam Dei, ac proximi (quam descripsimus) charitatem assequaris. Si autem à me quaras, quo pacto potero hanc pretiosam drachmam à primo parente perditam inuenire, & innocentiam dilapidatam possidere? Certe poteris, si mulierem illam, quae vnam ex decem drachmis perdidit, imiteris. Quomodo igitur eam imitabor? Ita sane si lucernam accendas, hoc est (vt exponit Gregorius Nyssenus) poenitentiam, & compunctionem tuorum peccatorum exsuscites, obliuione tui, & defectu humilitatis extinctam, qua tuas miseras agnoscas, cognitas desleas, & lacrymis ac gemibus diluas. Si domum tuam scopa mortificationis eueras (qua sicut scopa multis arbutis constat, ita multis actibus propriae abnegationis conficitur) & quidquid in te sordidum est mundes, quidquid immundum est purges, quidquid saeculum redolet, & mundum sapit, & abiicias. Ita fiet, vt drachma perditam incipiat apparere, & aliquem ex se in tuos oculos splendorem immittere. Qua cognita, & eius pulchritudine considerata, non dubium, quin celeriter tepidum in terram abiicias, & supra quam dici potest, omnem fastum, & superbiam prosternas, & vniuersa mundana abomineris, vt drachmam capias (quae pretium est regni caelorum) & tantum bonum tam exiguo nomine signatum, possideas. Tunc contuocabis amicas, & vicinas, id est animas sanctas, & tui feruoris, ac propositi socias, dicetque illis: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam meam, quam in proterparente perdideram. ] Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea. ] Qui exaltauit me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes suas in portis filiae Sion. ] Qui dedit mihi sponfam, diu desideratam, sollicitè amatam, sine intermissione quaesitam, & aliquando cupienti animo preparatam; qua nobilis ero ego in portis vir eius, quando sedero cum senatoribus terrae. ] Quando fructus manuum mearum comedam, vel (vt verius dicam) filios gratiae & partus misericordiae Dei, quibus me dotauit, lata mente suscipiam.

Luc. 15.

Psal. 65.

Psal. 9.

Psal. 31.

*Perfectionem vocari margaritam, propter quam emendam omnia nostra vendidimus.*

CAPVT III.

**T**ertium perfectionis nomen illustrius est, & sublimius, licet idem omnino, quod drachma significet; sed in hoc est manifestum discrimen, quod ipsa vocis maiestate, rei significatae magnitudinem apertius & manifestius ostendit. Drachma enim nomen est rei minima, quam etiam pauperes, & egeni possident; at margarita re pretiosam, magnique valoris designat, qua soli reges, & principes, aut homines, certe praedivites, in suum dominium ac potestatem habent.

**A**t in arcano Christi sermone, ad idem profus scilicet ad perfectionem referuntur, siue quia ille (cuius velle, posse est) eadem facilitate gemmam perfectionis suis amicis elargitur, ac si vilissimam drachmam tribueret; siue quia nobis gratiae auxilio roboratis, tam facile est perfectionem assequi, ac monetam minimi pretij, & valoris lucrari. Vocatur ergo vita spiritualis perfectio pretiosa margarita, quom diligens negotiator, margaritis quaerendis insistens, inuenit; & venditis omnibus quae possidebat, & in pretium eius oblati, in suum vsum vindicauit. Quod ita esse, tum negotiatoris munus, tum margaritae natura, & pulchritudo, tum finis, cuius gratia margarita emittitur; & possidetur, satis clare & perspicue demonstrant. Nam negotiator iste virum spirituale significat, qui velut industrius negotiator scientia pollet, & rerum acquirendarum industria; qui temporis ad negotiandum, & loci opportunitatem agnoscit; qui mercium sibi oblatarum, aut vilitatem, vt eas respuat, aut vt accipiat, valorem, & bonitatem aduertit; qui rationem conseruandi merces ad se pertinentes optime nouit; qui ingeniorum bonorum, siue mulorum, quibuscum negotiatur, conditionem expendit; qui nec amore magno erga diuitias spirituales, nec ardenti desiderio eas congregandi caret, nec lucrum, quod sperat, aeternum vti que, & semper duraturum rebus vilibus & contemptibilibus huius vitae postponit; nec eorum magnificum ad expensas faciendas, & merces pretiosissimas emendas ob tentationes irruentes amittit. Scit enim dictum esse à Domino: Negotiamini dum venio. ] Qua iussione percussus, & spe praemij caelestis animatus, nequaquam labori parcat, aut eor suum negligentia, & socordia tabescere sinat. Audiamus negotiatorum huius saeculi fallacis ingenium, & inde spirituales viros esse negotiatores, manifestè conperiemus. Illos quidem Laurentius Iustinianus hac disserta oratione describit. Prudentem negotiatorum temporalium rerum hoc est proprium, infatigabili cura secum in cordis secreto prius quam ad exteriorem deueniant actum, sua tractare negotia. Impellente quidem cupiditate aggregandi diuitias saepe cogitant, quanta qualiaue sint bona, quae possident, quomodo, aut quibus argumentis valeant, quae habent, vendere, emere quae non habent, & semper lucrari causa. Circa hoc multiplicat cogitationes, accenduntur desideriis, partem noctis infomnem ducunt, in die huc illuc discurrunt, supputant tempora, mente peragrunt prouincias, obuiant perieulis obiectis, atque sedula intentione inutilia secum gerunt certamina. Ordinant, quae agenda sunt, & quae facta sunt, vt indelebiter recondant memoria, & reuifere valeant, calamo scribunt. Nemo profus explicare sufficit eorum cogitatus, inordinatos affectus, anxietates plurimas, occupationesque innumeras. Obluiscuntur sui & penè salutis propriae efficiuntur immemores, pra nimio amore terrenarum facultatum quas velint nolint relictae sunt posteris. ] Sic ille istorum ingenium, & diligentiam depingit, à qua si inutilitatem, & affectus inordinationem abstrahamus, spirituale negotiatorem, id est, virum iustum, cognoscemus. Qui profecto nihil nisi suum negotium id est, animae salutem, & profectum mente reuoluit; & priusquam aliquid dicat, aut faciat, an Deo placitum sit, an minus gratum attentè considerat: desiderii offerendi Deo, quae opere executus est, fatigatur, & acquirendi virtutes, quas non habet, prudenti sollicitudine affligitur; & in hoc suos cogitatus, desideria, & conatus constituit: vt diuitias suas, id est, merita sua accessionibus nouis augmentet. Propter haec meritorum compendia, in die laborat, nocte

Luc. 19.

Luc. Iust. li. de humilit. c. 6.

vigilat,

vigilat, nunc huius virtutis actui, nunc illi bono operi insistit, in caelum mente conscendit, & ante Angelorum, & sanctorum pedes procumbit, vt ab illis auxilium, ad negotiandum, & aliquid lucrandum accipiat. Præteritorum recordatur, vt ea si mala sunt deleat, si bona perficiat; præsentia emendat, & futura oculo discretionis prospicit: Ac tandem omnium rerum temporalium, ac penè salutis corporalis obliuiscitur, vt semper duraturos thesauros inueniat, & caelestes facultates multiplicet. O bonus, ac prudens negotiator, cuius incitamentum ad lucrandum, charitas; cuius substantia, gratia; cuius scopus caelum est. Huic & sui similibus optimè congruit illud Iob: Concidit eum amici, diuident illum negotiatores, ] quoniam Behemoth; id est, diabolus viri spirituales abscondunt, cum verbo & exemplo peccatorum, hoc est, diaboli membra, ab eo separant, & ad vitam reuerentiam ac sanctitatem conuertunt. Et meritò Hieronymus vocat eos inclytos negotiatores, non terræ, sed cæli; quoniam negotiatione sua, non diuitias terrenas quærunt, sed opes caelestes, & thesauros non patrescentis carnis, sed spiritus semper viuientis, inueniunt. Quare si negotiatores terræ (vt est in Apocalypsi) flebunt, & lugebunt, Iar hi cæli negotiatores gaudebunt, & exultabunt, quoniam merces eorum nunquam discedent ab eis; sed interim aliquantulum contristabuntur, sed tristitia ipsorum conuertetur in gaudium.

Vir ergo spiritualis, & iustus, qui cogitationes, & desideria sua in caelum effert, & in caelestia, & sempiterna sustollit, negotiator est, qui margaritas quærit, cum virtutes, quibus exornetur, inquirat. Si enim margaritæ videnti sunt pulchræ, pauperi desiderabiles, possidenti pretiosæ; quid virtute pulchrius, quam impij etiam, & virtutis olores admirantur? Quid virtute desiderabilius, quam omnes siue magni, siue parui concupiscant? Quid virtute pretiosius, quam veri sapientes omnibus rebus pretiosissimis anteponunt? Denique melior est acquisitio eius, negotiatione argenti & auri, primi & purissimi fructus eius: Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. ] Tunc autem negotiator iste prudens, & felix pretiosam margaritam inuenit, cum perfectionem ipsam, & mentis puritatem agnoscat. Hanc verò esse pretiosam margaritam Cassianus perspicue conficitur, dum illud bonum, quod in Dei vnione consistit (& ipsa perfectio est) omnibus virtutibus iure præponit, & à Paulo, vniuersas iam virtutes habenti, in desiderio adhuc esse (quia amplius in hac vita crescere potuit) manifestè proclamat. Omnes (inquit) quas cum diximus habuisse virtutes, quamuis velut gemmæ splendidissimæ, atque pretiosæ sint; tamen si præclaro illi, atque præcipuo margarito, quod ille Evangelicus negotiator, inquirens, vniuersis quæ possidet venditis comparare desideret, conferantur, ita earum meritum euilescit atque contemnitur; vt eis sine cunctatione distractis, vnus tantum boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditor. ] Idem videri sentire venerabilis Beda, dum margaritæ nomine iam caelestem vitam, quæ non est alia, quam vita perfecta, iam virtutem charitatis intelligit. Eius interpretatio sic habet. Inuenta vna margarita pretiosa, omnia quæ habuit, vendidit, quia in comparatione caelestis vitæ omnia habita vilescunt. Si verò sanctos homines scrutare vis, vnum Iesum Christum, qui absque culpa est, omnibus meliorem inuenies. Si intellectum quæris, illum solum cæteris præeminere probaueris: In principio erat Verbum, & mandatis omnibus sic charitas est

A excellentior, in qua omnia restaurantur. ] Præus docuit hoc Augustinus, Christum Iesum, id est, imitationem eius, aut dilectionem margaritam appellans. Et alio loco apertius de charitate loquens: Puto, inquit, istam margaritam esse illam, pro qua homo negotiator describitur in Euangelio, qui inuenit vnam margaritam, & vendidit omnia, quæ habebat, & emebat eam. Hæc est margarita pretiosa charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris, quam si solam habeas, sufficit tibi. ] At Bernardus clarissimè non aliud, quam perfectionem in margarita intellexit: dum ea vnitatem signari docuit. Ego, inquit, vnam hanc margaritam, nihil aliud, quam vnitatem arbitror esse. Quærit autem bonas margaritas, & qui in opere salutis suæ non est contentus, inferioribus bonis, sed summa quæque & excellentiora perquirat. Nihil ergo pretiosius inuenit vnitatem, non parcat omnibus cæteris propter eam: Ieiunijs, vigilijs, orationibus audacter præferat vnitatem. Volo autem, vt in ea quoque sic maneat, non quasi vnus ex omnibus, sed quasi cum omnibus vnus. Latrum expandat suum, ex omni genere affectionum claudat intra viscera sua, omnibus omnia fiat, & congaudere paratus, & compati: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. ] Ex his intelligimus margaritæ nomine ipsam perfectionem obuolui, cuius naturam charitas, aut vnitatem tenet, & ipsa Christi sequela, atque imitatio depingit.

C Ego autem existimo, perfectionem non quamlibet dici margaritam, sed illam, quæ secum omnes alias margaritas trahat, & in viri perfecti finem iniiciat. Nam de conchylijs, in quibus margarita generantur, quid admirabile tradit Plinius, quem Origenes sequitur, vnum esse inter illa magnitudine præstantissimum, & pulchritudine gemmæ intra se recondita venustissimum, quod turmatim alia conchylija velut ducem sequantur, & ipsum tamquam Regem, aut Imperatorem comitentur. Hoc igitur conchyle vniuersos præ omnibus apprehendere cupiunt, si quidem eo capto ferè nullo negotio vniuersum agmen concharum apprehenditur, suum ducem sequens, & apprehendens omnium margaritarum possessor efficitur. Ecce detectam, & patefactam sanctæ perfectionis dignitatem atque naturam. Ipsa margarita est, nam si margarita terrena, quas scilicet terreni homines amant, magni sunt pretij, vt ex Plinio discimus, & ipsa experientia comperimus, nihil est in vita spirituali perfectione pretiosius, siquidem velut omnium virtutum genitrix earum societatem amat, pulchritudinem, & decorem possidet, & quatenus est earundem origo, vim naturamque sortitur. Cui illud sapientis egregiè conuenit: Gemma gratissima expectatio præstolantis, quocumque se vertit, prudenter intelligit. Nam præstolans non est alius, quam iustus, qui cum desiderio cordis sui in terra non habeat, in cælo illud amplectendum esse prudenter expectat. Huius expectatio in hac vita perfectio est; nam si quod habet quis, non sperat, iste non virtutes quas habet, sed ipsarum perfectionem, & absolutionem, quam nondum accepit, habere desiderat. Quæ perfectio gemma est gratiosissima, & omnium aliarum pretiosissima, pro cuius desiderio virtutis amator in quocumque negotio circumspicere se gerere curat, ne rei à se concupitæ possessione fraudetur. Margaritæ in conchis generantur, & hæc nostra pulchra margarita prius quàm annulo, quæ speramus, æternæ felicitatis cingatur, in concha moralitatis inclusa continetur. Vnde Paulus ait: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & nõ ex nobis. ] Et Gregorius perfectos

Aug. lib. 2. 97. Enchiridion. c. 11. Aug. in 1. 3. Ioan. ad c. 3. tract. 5.

Ber. ser. 26. ex parisijs.

Plin. lib. 9. hist. nat. c. 35. Orig. in Mast. ad c. 13.

Præst. 17.

2. Cor. 4.

Greg. in Cant. c. 6.

nucibus signari autumat eo loco: descendi in hortum nucum qui dum diuinam sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant. Vult enim Dominus ostendere mundo, in omnibus operibus suis sapientiam, & bonitatem, & potentiam suam: In hoc autem opere sanctificationis hominum, sapientiam ostendit, quia homines per peccatum stultissimos, per veram virtutem sapientissimos facit; bonitatem patefacit, quia quos iniquos & peccatores reperit, in viros sanctos, ac perfectos conuertit; & potentiam declarat, quia perfectionis margaritam, tam in hoc mundo delicatam, tam Dæmonum rapinis expositam, in concha, in vase fictili, ac testaceo conseruat, vt opus tam sublimem, tam admirabile, non imbecillitati humanæ, sed diuinæ virtuti tribuatur. Facit hoc Deus noster, ô honio, vt intelligas quoniam mutatio vitæ, & acquisitio virtutis non est opus tuum, sed opus suum, & ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc omnia mihi præstiterunt. ] Sed recorderis Domini tui quod ipse vites tibi præbuerit, vt peccata desereret, mores mutares, & virtutem, aut minimam, aut mediocrem, aut perfectam obtineres. Margaritæ quoque à lumine cæli, ex humore roscoido tamquam ex materia fiunt, in quo perfectionis margarita cum illis conuenit, quæ à Deo ex cælesti ac spiritali rore mirabiliter gignitur. An Deus lumine virtutis suæ hanc margaritam efficit? Ita sanè, quoniam ipse est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. ] Quid est operatur velle, nisi quod Deus femina virtutis inserit, & initia perfectionis instillat? Et quid est operatur perficere, nisi quod virtutis augmentum ipse concedit, & vilissimum hominem in fastigium perfectionis extollit? Hoc operatur in nobis non pro meritis nostris, sed pro bona voluntate sua, qua & nos dilexit, & sibi in socios, in amicos, in filios aggregare constituit. An ex rore cælesti eam in cordibus nostris efformat? Ita quidem, quoniam inspiratio diuina tamquam ros in animas iustas descendit, & ex ea in desideria protrahit, atque in opus, & actionem prouectæ gratia efficax, Dei perfectionem facit, ipsamque abscondita quadam mutatione in sanctitatem, ac mentis puritatem commutat. De hac inspiratione Dei, inquit Isaias: Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. ] Illi quippe habitabant in puluere, qui terram amabant, & pulueri terræ, hoc est, rebus vilissimis inhærebant, quos Dominus rore lucis suæ, id est, inspiratione sua suscitauit, & à somno vitiorum excitat, cum peccatis & vitis extinctis, à morte ad vitam, & ab iniquitate ad sanctitatem reuocat.

Deut. 8.

Philip. 2.

Isaia 26.

Plin. lib. 9. c. 35.

Sed aliud profecto mirabilis, in hac margaritarum procreatione contingit, quod Plinius solertissimus rerum naturalium indagator, inter alia non sinit: pro qualitate scilicet roris à concha concepti margaritarum mutari, & aut candidius puro, aut obscurius turbido rore suscepto, produci. Quod reuera nostræ margaritæ perfectionis non deficit, quæ pro qualitate gratiæ sanctis concessa, & pro vocationum discrimine, cum natura, vna eademque sit, colore, aut aspectu alia atque alia esse conspicitur. Hinc oriuntur sanctorum hominum diuersa studia, actionesque distinctæ, cum tamen omnes margaritam habeant, id est, à perfecta charitate ad agendum incitentur, & ad eandem plenius habendam moueantur. Quosdam videas silentij, & quietis studiosos; alios pie sollicitudinis, & sancti laboris amatores; hos amor vitæ actiue capit; illos vitæ contemplati-

uæ desiderium tenet; alios vitæ mistæ admiratio succendit: Quidam mansuetudine tamquam candore nitent; quidam zelo, & seueritate, tamquam pallore fulgent; hi circumspectione, & timore pauent; illi fiducia, & amore audent, & alij feruore, & magnanimitate resplendent. Horum omnium vna charitas perfecta est, vna margarita, quam ex rore cælesti coeperunt, quam vt sponsam charissimam adamarunt, sed distinctus est externus aspectus, quia gratia Dei sanctos & perfectos efficiens, non omnes eadem ratione gubernat; nec ad eadem opera perfectionis instigat. Ideo Ecclesia dicitur non vno colore vestita, sed circumdata varietate, ] & in ea non omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores: non omnes virtutes, non omnes gratiam habent curationum, non omnes linguis loquuntur, non omnes interpretantur, ] & eius membra lapidibus pretiosis signata sunt, quia videlicet sicut lapidum pretiosorum varia est virtus, ita in sanctis est actionum, studiorum, meritorumque diuersitas. Quemadmodum ergo semen, ex quo arbor generatur, natura quidem, & specie vnum est, sed qualitate varium, & multiplex, cum ex eo tot tam diuersæque arboris partes, scilicet radix, truncus, rami, folia, flores, & fructus generentur: Ita hic gratia ros, vnus quidem est, quod ad naturam, siue speciem attinet, qui in iustorum mentibus perfectionem & sanctitatem inducit; at virtute est multiplex, cum diuersos modos sanctitatis generet, & varias cæli vias in charitate cõtentas, hominibus cupidis suæ salutis demonstret.

Psal. 44. 1. Cor. 12.

Apo. 21.

C

Et quid amplius habent margaritæ? illud sanè (inquit idem Plinius) quod solis radios fugiunt, vsu atteruntur, & incuria, atque indiligentia colore mutantur. Eadem prorsus in perfectione tamquam in vera margarita reperio, quæ nos cautos faciant, & non solum à superbia, verum etiam à noxio tepore submoueant. Perfectio solis huius radios fugit, quia non ostentationem diligit, non mortalium laudationes aucupatur, non ab hominibus effertur concupiscit: & eo ipso solius iustitiæ solis conspectum, & laudem exquirat. Quare sancti ita rebus spiritalibus vacant, vt tamen quantum possunt, se ab oculis humanis abscondant. Neque enim sunt ex illis, qui, vt dicit Iob, mandunt herbas, & arborum cortices, ] id est, sola humana laude delectantur, & ventrem inani vento distendunt. ] Sed ex illis qui in suis operibus illud Domini mandatum custodiunt: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Perfectio quoque nostra, non est in hac vita immutabilis, & incorruptibilis, sed talis, quæ nimio vsu atteratur, & immoderata exercitatione exarescat. Quid est vsu atteri: nisi imprudenti occupatione fuscari? Nam sicut vestis pretiosa, inter carbonem & ollas inficitur, ita mentis puritas inter sæculares occupationes foedatur, & multis laboribus acquisitus decor, vna distractione cordis amittitur. Præclare dixit Ambrosius, dum soporè Ade mysticè interpretatur: Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad coniugium copulandum cum intendimus animus, veluti intentos oculos ad Dei regnum inclinare, atque inflectere videmur, ad quemdã formidulosius mundi, & paulisper obdormire diuinis, dum in secularibus mundanisque requiescimus. Ne ergo diuinorum obliuiscamur, & puritatem à Domino nobis datam atteramus, distractio, & immoderata occupatio fugienda est, quia perfectionis margarita imprudètia conteritur, & inani præsumptione, veluti quadam ad ferrum confricatione dissoluitur. Incuria tandem, & otiositate perfectio colorè mutat, vt quæ antea erat pulchra & splendida, præ negligentia & ignauia possidètis, fusca & deformis existat, adeo, vt

Iob. 30.

Matt. 6.

Am. lib. de paras. c. 11.



sentium nobis prius negligenter, & postea iniquè agentibus, tandem in nigredinem, & fetorem conuertamur. Quod vel cuiusdam monachi historia ab Abbate Ioanne, gratia edificationis enarrata, manifestè conuincit. Ille enim cum magno spiritus feruore Domino deseruiret, & præscriptam sibi orationis horam eximia deuotione completeret, pane miti candoris miræque suauitatis è cælis administrato refectus, ad solitas orationes redibat, & pro sui cordis augenda munditia sollicitissimè laborabat. Postmodum verò ad noxium teporem deflexus, & solitis hymnorum, & orationum mysteriis, non ex feruore, sed ex more perfunctus, panem quidem diuinitus præparatum, sed aliquantulum sordidiorum & insuauiorum accepit. Tandem ex tepore ad consensum iniquitatis pertractus, panem sordidissimum, & aridissimum, & quasi à muribus vel canibus corrosum, ei cælestis visio administravit, & insuauitate ac ariditate panis eum admissi teporis, & cõceptæ iniquitatis admonuit. Admonet etiam nos, vt ex diuersitate alimenti huic monacho diuersis temporibus oblatis, mutationem margaritæ, id est, perfectionis, ac virtutis agnoscamus, quam diligenti exercitatione pulchram, incuria & tepore deformem, & iniquitate perditam, & in carbonem conuersam aspiciamus. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat; quia sicut difficillimum est nobis peccato primi parentis infirmis ad perfectionem ascendere; ita facillimum est à perfectione ad imperfectiones descendere, & ea illis in manifestam iniquitatem deturbari.

Est ergo perfectio pretiosa margarita, quæ margaritæ in se propria suscepit, & non quæcumque (vt iam cœpimus dicere) sed illa, quam omnes alitæ, vt duces sequuntur, & vt imperatricem comitantur. Quare si margaritæ à Latinis appellantur vniones, quia in vna concha, nullæ duæ indiseretæ reperiantur; multò melius perfectio potest (licet aliaratione) nomine vnionis insigniri, quod omnes alias margaritas, id est, vniuersas virtutes secum copulet, in animam perfectam trahat, & ex omnibus veluti vnã geminam pretiosissimam, id est, vnã animæ formam, vnãque decoris speciem conficiat. Hoc enim proprium sanctitatis, & perfectioni est, vt sicut omnia vitia ab anima perfecta profligat, ita omnes virtutes inserat, & eam ex superba humilem, ex iracunda mansuetam, ex auara largam, ex lasciuia castam, & vno nomine, ex vitiosa studiosam, & omnis boni amatricem faciat. Ob id autem est margarita omnium pretiosissima, quia omnium aliarum pretium, & valorem habet, ac vniuersarum affectus includit. Vnde Paulus eam patientem, & benignam appellat, quia patientiæ stabilitate, benignitatis pulchritudine; & aliarum virtutum decore resulget. Ipsa est candida, quia innocens lucida, quia sapiens; rotunda, quia in Deum tendens; suum pondus habens, quia constans; & leuis, quia mitis atque benigna, & mita suauitate tractabilis. Ipsa tandem est principium ac regum ornamentum, quia animæ, quæ in seipsum dominantur, & suis cupiditatibus imperant, hac pulcherrima margarita decorantur, & ita decorantur, vt regi regum Deo decoratæ & amabiles appareant. Vnde Augustinus ait: Quomodo terrenis ornamentis caro luxuriosa paruo tempore ornatur, vt carnalibus oculis, aut ad suam, aut aliorum malè concupiscentium ruinam placere possit; sic anima diuinis sermonibus tamquam spiritalibus, & æternis bonorum operum, & margaritis componitur, vt ad illius cælestis sponsi consortium, & nuptiale conuiuium feliciter ornata perueniat, vt non ei dicatur illud,

1. Cor. 10.

1. Cor. 13.

Aug. lib. 50. hom. homin. 16.

A] quod scriptum est in Euangelio: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Ne honorum ornamentis expoliatus, ac nudus audire mereatur: Ligatè illi manus, & pedes, & projicite in tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium. Sed magis pro ornamentis bonorum operum illa vox ad eum desiderabilis dirigatur. Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Sed o quam admirabili ratione, & quanto plenius, quam margaritæ corpus, animam perfectio condecorat. Nam vna margarita, vnã solam corporis partem, vt aurem, aut caput, aut pectus ornat; at vna perfectio omnes animæ partes, & omnes vires eius honestat, & pulcherrimas reddit. Animæ substantiam ipsam gratia vestit, intellectum immenso fidei, sapientiæ, & prudentiæ lumine irradiat, voluntatem charitate, & misericordia induit, concupiscibilem temperantia, & irascibilem fortitudine cingit, & ipsum corpus modestia, & tranquillitate componit. Tanta profectò est huius margaritæ lux, tantus decor, tanta pulchritudo, vt diuinos oculos capiat; qui sola puritate delectantur, & ipsa sola inter iniquos, & iustos, inter damnatos, & beatos discrimen constituat. Quare namque iniqui Deo displicent, nisi quia omni perfectione carent? Et quare iusti Deo placent, nisi quia aliquod saltem vestigium perfectionis habent? Quare illi reprobi facti sunt, nisi quia perfectionem, & sanctitatem, odio habuerunt? & quare isti salui facti sunt, nisi quia perfectionem & sanctitatem amarunt? Sine qualicet in cælo essent, beati non essent, quia (vt theologi dicunt) homines, aut Angeli omni perfectione carentes, & graui crimine sordentes, Deum non possunt videre, & esto, possent, sed certè Deum non possiderent. Et quid mirum si perfectio animas decorat, quæ ipsam etiam Deum, ac omnium creatorem exornat? Ille enim qui deoorem, & confessionem induit & amictus est lumine sicut vestimento, qui indutus est fortitudine, & præcinctus est virtute, & iustitia cingulum lumborum eius, & fides sancto munitur renum eius, non corporalibus indumentis amictur, sed infinita sanctitate, immensa perfectione & incomprehensibili cumulo suorum virtutum circumdatur (quæ vna simplicissima virtus est) qua coram Angelis & sanctis suis formosus in stola sua; gloriosusque procedit. Quis ergo dubitet, perfectionem margaritam esse, quæ veluti gemma pretiosa splendorem, pulchritudinem, & inmentum valorem habet, & ornamentum est animæ sanctæ quo decora, & Deo digna existimatur, & spiritibus cælestibus amabilis, & pulchra videtur.

Si ergo volumus hanc margaritam pretiosam emere, & eius nos ornate pulchritudine, necesse est, vt omnia nostra vendamus, & nos rerum omnium terrenarum cupiditate nudemus. Quid est omnia vendere? Certè non solum facultates, delicias, & honores contemnere (quod, si non falsi religiosi sumus, iam fecimus) sed proprias voluntates, inueteratas consuetudines, pristinos mores, imò & nos ipsos pro perfectionis amore despiciere. Simile est enim regnum cælorum, hoc est, acquisitio regni cælorum, homini negotiatori querenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa margarita abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emiit eam. Non quibus homo, sed negotiator, & non quilibet negotiator, sed margaritarius, nimirum gemmis pretiosis emendis, & vendendis insistens, hanc inestimabilem margaritam inuenit, & vt inuentam possideret, primò abiit, deinde vendidit omnia sua, & tandem ea omnia in margaritæ pretium insumpsit. Vis o religiose,

Matth. 22.

Matth. 5.

Psal. 92.

Psal. 103.

Isaia. 11.

Matth. 13.

vis, & perfectionis amator, perfectionis ac sanctitatis esse possessor? Non igitur sis homo vagus, & otiosus, non ut eques comptus, & delicatus; sed esto mercator, & animum ac curas, & sollicitudines negotiatoris indue. An negotiatorem dicimus, qui semel, aut bis, aliquid emit, & aliam viuendi rationē à mercatura alienam inijt? Non sanē, sed illam, qui ingenti studio, ac diligentia artem emendi & vendēdi exercet, & mercibus comportandis, seu conuehendis insistit. Ita tu & ut negotiator sis, non debes cursim, & quasi aliud agens viam virtutis arripere, sed ex professo virtuti, & puritati mentis adipiscēda vacare, & omnia alia, vt cibum, & somnum, & munus, & laborem, & quidquid cogitaueris, aut egeris, in hoc negotium tāquam in finem dirigere. Interroga Basilium, quem cenfeat vocari posse virtutis studiosum, id est, spirituales negotiatorem. Non vnus, inquit actus perficit studiosum virtutis operatorem, sed per omnem vitam prorogari, & extendi conuenit virtutis actiones. Semper itaque debes, vt bonus mercator, non rerum terrenarum, sed donorum celestium, in eos actus virtutis incumbere, qui te quotidie; imō & singulis momentis ditiores, hoc est, sanctiores, faciāt, & ad consequendam perfectionem iuuent. Non tamen sufficit, vt sis velut negotiator, sed oportet sis sicut ille, qui lapidibus pretiosis, & margaritis pulcherrimis emendis intendit. Video enim aliquos sub veste religiosa, & habitu monachali, qui mentem negotiatorum, non margaritarum, sed luti, & stercoreis conceperunt. Qui omnem curam, & sollicitudinē suam, non in adeptione veræ virtutis, sed in ambitione honoris, in acquisitione propriæ commoditatis, in expletione suæ voluntatis, aut certē in literis, quæ eos instrēt, addiscendis posuerunt. Hi primum, & præcipuum locum in corde suo, his rebus vilissimis, quarum amore dementati sunt, tribuunt, & secundum, aut tertium, aut nullum virtutis studio concedunt. Et eo ipso conuincuntur non esse amatores perfectæ virtutis, cuius tanta est auctoritas, tanta maiestas, vt non nisi in primo cordis loco sedeat, imo & omnia alia ad seipsam tamquam ad scopum dirigendo, totum cor nostrum in sedem ac domicilium sibi deposcat. Quamobrē iure optimo à Domino per prophetam irridentur, dicente cuius illorum tamquam stulto, qui suum statum & sortem ignoret: Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cæli, bruchus expansus est, & auolauit. Sicut enim stellæ cæli à nobis numerari non possunt, ita nō erit, qui negotiationes vnus istorum infelicium enumeret, & curas, ac sollicitudines cōputer, quibus seipsam diffruciat, vt rem, quam in ingressu religionis contempserit, iterum repetat, & quasi rem alicuius valoris obtineat. Fortassis obtinebit, & aut prælatus, aut honoratus euader, sed cū minis de aliqua mutatione cogitat, auolabit prælatio, aut honos quasi bruchus, & eum inanem, & inglorium derelinquet. Tu si perfectionem cupis, nō sis ex istis, sed honoribus, & commoditatibus, & omnibus rebus temporalibus mortuum te exhibe, & solum ad margaritas quærendas, id est, ad veras virtutes amplectendas, & perfectionem adipiscendam, viue. Et sicut illi Deo moriuntur, vt mundo, quem in seipsis antea necauerant, viuunt, ita & tu mundo, cui pro ratione religiosi status mortuus es, ampliùs & perfectiùs mori stude, & omnia huius mundi bona tanquam mortuus, ne respicias quidem, vt Deo, & perfectioni viuas, & sanctus, ac perfectus euadas. Sic eris bonus & prudens margaritarum negotiator, qui merces pretiosas comparat, & res nullius valoris, quæ ad tuum statum non pertinet, constanter spernas. Postquam verò hunc

Basil. hō.  
in Ps. 14.  
ad illud.  
Qui ambulat super  
macula.

Nabii. 3.

honoris, & propriæ commoditatis contemptum, & perfectionis amorem, ac desiderium in te senseris, abi, & non te ipsum, sed Dei gloriam & honorem inquirens, à teipso discede. Vnde omnia quæ habes, id est, omnia quæ te vincunt, siue cogitationes sint, siue desideria rerum huius mundi, abijce, vt pretium pro illis humillimæ orationis, & feruentissimæ operationis congeras, quo desideratam margaritam coemas. Nam si virgines, quæ sponsum sunt accepturas, nihil aliud pluri æstimant, quàm sericas vestes, mitras, vittas, redimicula, & lapides, & gemmas pretiosas, & alia similia, quibus seipsas in die nuptiarum ornēt, & compræ pulchræque procedant; & pro his omnia alia dilapidant, & suæ pulchritudinis instrumentis postponunt, quid tu factura es, o anima religiosa, ad agni nuptias inuitata, ad coniugium Christi vocata, ad Dei amplexus prædestinata, nisi mundum, & omnia mūdāna proterere, honorem, & propriam voluntatem abijcere, affectus & passiones conculcare, & teipsam fugere, atque relinquere, vt hanc margaritam perfectionis compares, qua sponsi tui oculis pulcherrima apparebis, & coram amicis sponsi, id est, coram Angelis, & Sanctis decenter compta & ornata procedes.

Perfectionem vocari thesaurum, ob cuius amorem vniuersa relinquimus.

#### CAPVT IIII.

**P**ROPRIVM perfectionis est, dum in vita mortali possidetur, vt semper crescat, & non in vno statu, quasi senis & otiosa consistat. Quod Salomon manifestè confirmat, dicens: Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Nam semita iustorum non gressus corporis eorum, sed gressus mentium, id est, bona opera, & virtutes designant, quæ instar lucis diei, quam continens latio solis efficit, semper augentur, donec ad perfectionem æternæ vitæ perueniant. Idem ergo, quod sancta perfectio habet, eius nomina habere competimus, vt in diuinis Scripturis crescant, & rem numquam quiescentem, sed semper ad maiora, & altiora tendentem illustrioribus titulis patefaciant. Ecce primò perfectio vocatur sapiētia, quam solemus, drachmæ, id est, pretio magistris oblato, comparare, in quo minoris quodammodo, quàm ipsum pretium quod recipiunt, ab illis æstimatur. Deinde vocatur drachma, quam nonnulli ob sapiētia doctrinam accipientes, & diuitias exercitatione sapiētia lucrari cupientes, sapiētia, & cognitioni rerum anteponunt. Postea vocatur margarita, cuius maior est valor, quia multis drachmis, vna sola margarita cōemittitur, & multis monetis, siue argenteis, siue aureis præfertur. Nunc verò nominatur thesaurus, qui innumeras drachmas, & multa talenta, & margaritas, & lapides pretiosos continens, in infinitum crescit, & valorem drachmæ, & margaritæ, & cuiusque alterius rei specialis excedit. Si enim thesaurus non quamcumque auri, aut argenti reconditi summam, sed immensam auri, aut argenti, aut pretiosorum lapidum, aut aliarum diuitiarum copiam continet, quæ sit velut armarium, aut promptuarium, ex quo suis & aliorum necessitatibus quis providere possit, dum perfectio vocatur thesaurus, non dubium est, quin supra sapientiam, & supra drachmam, & supra margaritam excreseat. Nam magis est quàm sapiētia, thesaurus sapiētia, ex quo scriba doctus in regno cælorum in aliorum vsum potest proficere noua & ve-

Prov. 4.

Mat. 13.

tera.]

tera. ] Et magis est quam drachma, aut margarita, thesaurus drachmarum, aut gemmarum, quo habet quis non tantum vnde sibi provideat, aut vnde se ornet, sed etiam vnde fratrum ornamento consulat, & necessitati succurrat. In hoc igitur nomine creuit perfectio, & mirum in modum amplificata est, quæ ut penu quoddam bonorum omnium refertissimum, oculus inspicientium, & meditantium offertur.

Sapient. 7.

Perfectio quidem est thesaurus, cuius possessione ditescimus, & vitam pauperem, & despectam abijcimus. Quem liber sapientiarum; non quemuis thesaurum, sed infinitum: & nos Deo gratos, & hominibus honorabiles efficiet vocat. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vti sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter discipline dona commendati. ] Quare infinitus? Ideo profectò quia perfectionis thesaurus omnium opum, quæ homini contingere possunt, summa est, atque compendium. Nam si Bernardo credendum est, tres sunt thesauri, quos nobis thesaurizare debemus, nimirum desiderium pietatis in corde, doctrina veritatis in ore, & assiduitas perseverans in homine, pro quibus omnibus vnicus perfectionis thesaurus abundantissimè sufficit. Perfectio generat desiderium pietatis, quæ definitur esse cultus Dei, quoniam omnis eius cura in hoc sita est, ut Deum adoret, & in spiritu, & veritate colat, & vniuersa huic purissimo cultui aduerfantia remoueat. Tradit quoque doctrinam veritatis; quia ipsam euangelij veritatem carnalibus inaccessibilem non tantum ore docet (quod per se satis magnum est) verum in corde recondit, & quo pacto complenda sit, operibus omnis virtutis ostendit. Procreat tandem (quod ad se attinet) perseverantiam assiduitatem, quia cum ipsa sit perfecta virtus, iustorum mentibus non leuiter affixa, sed intimè radicata, amorem boni, & in omnium iusto opere voluptatem affert, amor verò, & voluptas in aliquo negotio homines perseverantes constituit. Non ergo inueniri poterit thesaurus perfectione copiosior, quæ voluntatem pietate vestiens, & intellectum veritate illustrans, & vtrique in bono perseverantiam imperties, quidquid boni animæ necessarium est, abundè suppeditat. Sed quod sequitur, non leuiter huius thesauri immensitatem pandit, & scilicet eius vsum participes nos facere amicitia Dei. ] Nam si intima familiaritas alicuius hominis cum rege terreno, est honorum, & dignitatum, & magnarum diuitiarum origo; familiaritas cum rege celesti, cuius potentia, & largitas in amicos suos est infinita, cuius boni non erit initium? Quid deerit illi, qui Deum amicum habet? Cuiusnam rei indigebit, qui Deum ipsum, & eius gratiam, & amicitiam possidet? Quis non magno honore illum afficiet, quem Deus in hac vita honore prosequitur, & in alia magnificat propter disciplinam perfectam custodiam? Hic ergo perfectionis thesaurus penè infinitus est, qui non aliquid speciale bonorum genus, sed omnia bona animæ continet. Et ideo non minus verè, quam audent ait: Mecum sunt diuitia, & gloria, opes superba, & iustitia. ] Secum enim affert vera sapientia (cuius nomine supra perfectionem signati didicimus) spirituales diuitias, id est, omnium virtutum actiones, & purissimas voluptates, quæ non carnis obsecrationem, sed pacatam conscientiam comitantur, ut verissimum honorem, qui non ab hominibus quaerendus est (vra it Paulus) sed à Deo ipso] suos honorate, & extollente, suscipitur. Ita vero perfectionis diuitia non exiles sunt, aut moderata, sed opes superba, id est, eminentes, & cumulate, & tales quæ vitam perfectam, & apud homines admirabilem, & apud Angelos magnam, & planè beatum efficiunt. Nec istud mirum esse debet, si quidem opes

Bern. li. i. sentent.

Prou. 8.

1. Thess. 2.

A ista non per iniustitiam & rapinam congregantur, sed per iustitiam & aequitatem conquiruntur. Quare, si diues sæculi huius, aut est iniustus (ut dicitur), aut iniusti hæres, diues Ecclesie, & diues cæli, nimirum perfectus vir; è contrario & iustus est, & in iustitia ac pietatis hereditatem successit. Idcirco melior est perfectionis fructus auro, & lapide pretioso, & gemina eius argento electo, ] quoniam eius fructus non viscera terræ pariunt, virtute cæli, & calore solis resecta, non cauernæ, & montes huius infimi elementi proferunt, non flumina ad mare amarum festinantia edunt, sed gratia Dei in lucem emittit, quæ simul cum misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos illius. ] Hic autè respectus Dei, respectus vtrique sapientia, bonitatis, & potentia, quemnam thesaurum in nostris visceribus procreabit, nisi illum, qui omnis virtutis lucem, & pulchritudinem, & diuitias contineat? Vnde non inegre interrogatus Basilius, quidnam esset thesaurus bonus, ille scilicet, cui Dominus cælorum regnum comparauerat, respondit: sanè quidem prudentia omnis, quæ est in Christo, virtutis ad gloriam Dei, thesaurus bonus est. Quibus verbis nomine thesauri perfectionem intellexit, quæ breuiter appellatur omnis virtutis prudentia, siue sapientia; & hunc thesaurum non auri, aut argenti esse, quæ fures effodiunt, & furantur, sed omnium esse virtutum, & omnium bonorum spiritualium manifestissimè explicauit.

Prou. 8.

Sapient. 4.

Basili. in reg. brum. reg. 2. 36.

B Sed oblectemus nos parumper huius consideratione thesauri, & forte ipsa consideratio cordis nostri duritiam emolliet, & ad illum quaerendum excitabit. Enimvero nos iudicamus duplicem esse thesaurum, C [alterum simplicem, qui magna copia diuitiarum vnius generis constat, ut auri solus, vel argenti, vel gemmarum; alterum multiplicem, qui vniuersas omnis generis diuitias, ut aurum, & argentum, & gemas, & vasa pretiosa & vestes, & vrensilia domus, & alias esse valoris immensi comprehendat. Hinc autè similem putamus perfectionem; quare eam thesaurum multiplicem, siue omnes diuitias animæ continentem appellamus; Cui nihil omnino ad veram, & omnimodam animæ puritatem inuehendam deficiat. Sicut enim, qui inuenisset illum thesaurum, quem appellauimus multiplicem, omnia haberet, quibus, & sibi ipsi sufficeret, & sociorum, siue amicorum necessitati provideret; ita inueniens perfectionis thesaurum, omnia habet, quæ spirituali viro, & Angelorum amico, & cælestis patriæ cui, & Dei per adoptionem filio sunt necessaria, quorum possessione & sibi ipsi sufficiens est, & aliis, quibuscum vitam agit, utilis, atque proficiuus. Quo namque indiget iustus? Nonne vita? nonne salute? nonne cibo, potu & vestimento? nonne deliciis? nonne honoribus? nonne dignitate? nonne opibus, quibus & vsque ad sanctum luxum, sibi seruiat, & ad alios largus, imò & profusus existat? sed hæc omnia vna perfectio complectitur, vniuersa ista vnus thesaurus perfectionis habet, quare nemo inficiabitur, perfectionem, ac sanctitatem iure optimo thesaurum multiplicem appellari. Perfectio ita animæ est, imò & sola ipsa est vita perfecta, qua mens nostra mortem peccati fugit, & vitam gratia viuunt, & spiritum sanctum omnia viuificantem, habitatorem, & hospitem habet. Quod si iusti imperfecti viuunt spiritualiter, sed nondum perfectè viuunt, quousque gratia vita in eis crescat, & vsque ad gradum perfectionis adueniat. De qua dictum est in prouerbis: Custodi legem, atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. ] Lex præceptum sonat, & consilium, liberum obsequium significat, illud præcipuè, quo dictum est; si vis perfectus esse, vade, & vè-

Prou. 3.

Sapient. 6. Mat. 19.





de omnia quæ habes & veni, sequere me.] Qui hæc custodierit, vitam animæ & faucibus gratiam inuenit, quia & fontem vitalium operum, id est, actionum sanctarum, etsi opus illi, aut aliis fuerit, gratiam prædicandi, & loquendi spiritum acquisiuit. Perfectio salus animæ est, quæ vitia extinguens, morbos animæ sanat, & quotidianos defectus, prout potest, auertens, leues etiam mali affectiones curat, & ea omnia quæ ad salutem pertinent in nostras vires inducit. Huius enim primum munus est, peccati, & inordinati amoris morbum, in nos à primo parente transfusum potenter deicere, & sanitate ab eo, & sibi, & nobis perditam recuperare. Verè dulcedo animæ (vt inquit Salomon) sanitas ossium, quia id quod animæ dulcius sapit, nimirum perfectio propter cuius amorem ieiunia, vigilia, & alia corpori molesta dulcescunt, ossa nostra, id est, vires nostras sanat, & robur bonæ consuetudinis adijcit. Hanc spirituales salutem anima perfecta Christum considerando, & imitando consequitur, qua vacui manet, qui neque in eum oculos leuant, neque ipsis vitam, & mores sequuntur. De illo namque quid dicitur: Qui enim conuersus est (inquit ipsa sapientia) nō per hoc, quod videbat, sanabatur (hoc est per serpentem æneum, qui sublata institutione diuina, qua positus est ad representandum, nullius virtutis erat) sed per te omnium saluatorem, in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.] De istis autem quid? Perfectio quod statim subiicitur: Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum, quia digni erant ab huiusmodi exterminari. ] Vide quàm potens remedium sit Christi conspectus ad perfectionis salutem assequendam, & quàm imbecilles sunt homines sui capitis consideratione destituti, siquidem qui aspiciunt Christum, vt imitentur, nec à serpentibus ignitis leduntur: qui verò non aspiciunt, à locustis & muscis (quod est genus animalium infirmum) destruuntur, & exterminantur. O igitur magna, & facilis perfectionis salus! magna, quia omnia interiora nostra sanat; & facilis, quia non medicamentis, auro, & argento comparatis, non medicis, qui crumenas exhauriant, sed sola Christi consideratione, & imitatione conquiritur.

Satis magnus, atque pretiosus esset iste perfectionis thesaurus, etiam si solam vitam & salutem animæ contineret; sed non tantum has duas gemmas pretiosas continet; imò aliorum omnium bonorum est refertissimus. Cibum habet, & illum suauissimum, qui nequaquam calore naturali consumitur, sed cibo semper manente; homo interior in dies eius sumptio ne reparatur. Perfectis enim maximè cōpetit ille cibus de quo ait Dominus: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; Nam vt dictum est Augustino: cibus iste, cibus est grandiu, quæ, qui manducaturus, est oportet vt crescat, & ad virile ætatem, id est, ad perfectam virtutem venire festinet. Huius alimenti tanta est dulcedo, tanta suauitas, vt numquam comedentem exsatiat, & ad nauisam, & fastidium prouocet. Nā qui edunt me, adhuc esuriēt] & quò magis editur, in sanis, & bene dispositis maiorem sui famem exuscitat, & vehementius comedēdi desiderium accendit. Porum habet abundantissimæ gratiæ, quæ sanctis, & iustis præsto est, & illū dulcissimum, qui mētē inebriat, & ab omnibus huius sæculi desiderijs alienat, cuius hæc est laus in canticis canticorum: Comedite amici, & inebriamini charissimi.] Hic enim gratiæ potus tam abundans, vt inebriat, & à rerum secularium sensu, & cogitatione diuellat, nō amicis quibuscumque, sed charissimis, id est, perfectis, seruatus est, qui vt ita dicam, sibi & aliis

Prou. 16.

Sapient.

Ioan. 6.

Eccle. 24.

Cant. 5.

A bibunt, dum sibi, & aliis doctrinā, aut exemplo proficiūt. Quibus spiritualis dicit Dominus: si quis sitit, veniat ad me & bibat: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluēt aqua: viva. ] Sitit; qui suam paupertatem agnoscens; perfectionem cupit: ad Christum venit, qui à sæculi amore discedit bibit, qui Christo docente, & tribuente, perfectionem accipit: & flumina de ventre eius fluunt aqua: viva, cum in alios verb aut opere virtutis riuos effundit. Quare Chrysostomus rectè ait; Spiritus gratia cum mēi illapsa est, eamque irrigarit, omni fonte vberius scaturit, numquam deficit, numquam vacuat, numquam stat. ] Hanc aquam refrigerantem, & hoc vinū inebrians, perfectio secum affert, quia sitim terū terrenarum extinguit, sensum, & cogitationes sæculi sopit, & calorem, ac desiderium rerum caelestium accendit. Vestimēta virtutum habet, & illa valde pulchra, atque pretiosa, quibus mentē de se nudam, nō solum operit, sed mirabili varietate decoris exornat. Quas vestes molit Paulus, vt induamur, cū dicit: Induimini Dominū nostrū Iesum Christum. ] Quid enim est Christum induere, nisi eius perfectionem sequi, eius virtutes imitari. Quare hunc locum sic interpretatur Anselmus: Christus sapientia est, & iustitia, & sanctificatio, & veritas, & omnes simul virtutes, quas qui assumpserit, Christum dicitur induus esse. Christum induimini, id est, formam Christi sumite, vestē, & habitus, & forma illius vndique fulgeat, & representetur in vobis. ] Meritò autem perfectio vestimento comparatur, quoniam sicut talaris vestis omne corpus tegit, & ex omni parte circumdat, ita vt nihil nudū relinquat, sic perfectio (quæ ita vocatur, quia perficit) animam, & omnes vires eius virtutibus vestit, omnes sensus donis specialibus protegit, ita vt nihil in homine, aut nudum, aut deforme prætermittat.

Continētne alia iste thesaurus perfectionis? Continet quidem; quoniam qui ipsum habet delicias, honoribus, dignitatibus, & diuitijs abundat, ita vt nihil illi desit ad vitam beatam transigendam. Non possumus hæc breui oratione comprehendere, quæ longum sermonem inferiūs, & separatim exposcent. Sed interim, an non est voluptuosa perfectio, cum scriptum sit: Quia consolabitur Dominus Sion, hoc est, animā virtute perfectam, & cōsolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius, quasi delicias, & solitudinem eius, quasi hortum Domini? ] An nō est perfectio honorabilis, propter quam habebō claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis, & acutus inueniat in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me? ] An nō est dignitatis plena, cuius dono Dominus magna & pretiosa nobis promissa donauit, per quæ diuinæ efficiamur consortes nature? ] An non diues, cuius possessori promittitur, quòd habebit thesaurū in celo, ] & possidebit paratum sibi regnum à constitutione mūdi? ] Sanè diues ille est, qui à Petro appellatur cordis homo in incorruptibilitate, quieti & modesti spiritus, qui est in cōspectu Dei locuples. ] Verè diues, inquit Ambrosius, qui in cōspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua, mūdus ipse angustus est. ] Sed solum illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui nō opum, sed virtutū fructus recondat. Quis autem ante Deum diues, nisi quietus, & modestus spiritus, qui numquā corrumpitur. Nonne tibi videtur diues, qui habet pacē animi, tranquillitatem quietis, vt nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatū procellis, nec vetera fastidiat, & noua querat, & semper desiderādo fiat in sūmis diuitijs inops? ea est pax verè diues, quæ sperat omnium mentem ] diues pax, diues modestia, diues fides. Fidei enim to-

Ioan. 7.

Cryf. 66. 50. in Ioā.

Rom. 13.

Ansel. 1b.

Isaia 51.

Sap. 8.

2. Petri.

Matt. 19

Matt. 25.

1. Petri 3.

Amb. lib.

3. epist.

10.

Philip. 4.

tus mundus possessio est. Si ergo perfectio possessionem suam diuitem facit, & vitam, & salutem, & animam necessariam, & delicias, & honorem, & amplissimam dignitatem tribuit, quis dubitet, eam esse thesaurum, & thesaurum multiplicem, qui non aliquid tantum particulare bonum, sed omnium bonorum reconditam copiam contineat? Reuera thesaurus est, quia tam vetus depositio bonorum, ut eius nulla apud homines exter memoria, quam Deus, ex aeternitate in usum sanctorum recondidit, & oculis iniquorum occultauit. Verè thesaurus, qui nullum præter Deum, Dominum habeat, & eum, qui diligenter eum quæserit, & tandem pijs laboribus, & multitudine gemituum inuenierit, dominatorem agnoscat. Verè thesaurus indeficiens, qui semper augetur, & nouis meritis adiectis crescit, et si perfectus eum habens voluerit, nunquam consumetur, nec eius diuitiæ immensè deficient. Clara enim est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facillè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui querunt illam. Quare monet Dominus; Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in calis. [Et alio loco sapientissimus magister hortatur, ne pro terrenis diuitiis, sed pro cælestibus, & nunquam deficientibus laboremus. Nolite, ait, thesaurizare vobis thesauros in terra; vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.] O Felix, & summè felix, atque beatus, qui ita querit, ita laborat, ita se ad pondus dei, & æstus supportandū acingit, ut hūc pretiosum thesaurum inueniat, inuentū accipiat, acceptū possideat; possessum augmēter, autē inaccessibili diligentia custodiat; quoniam propter illū habebit immortalitatem, & his qui post eum futuri sunt, memoriā aeternā derelinquet.]

Hic thesaurus admirabilis in agro absconditus est, quoniam in vita religiosa tāquam in agro delitescit. Nihil enim aptius agri nomine, quā vitam religiosam intelligemus. Nam si ager (ut inquit Gregorius) disciplina est studij cælestis; tota hæc vita nihil aliud est, quā huius cælestis studij disciplina cuius opus in hoc consistit, ut Angelorum mores imitetur, & cælestes virtutes addiscat. Ager est non aridus, sed irriguus, non sterilis, sed arborum pulcherrimarum ferax, quæ Ecclesiam suo decore ornēt, fortitudineque sustentent. In quem illud Isaia apprimè quadrat: Aperiam in lupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudine cedrū, & spinam, & myrtum, & lignū oliuæ: ponam in deserto abietem, & cymum, & buxum simul, ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.] Colles sūt cæterus religiosi actibus Ecclesiasticis occupati; campi, cæterus sollicitudine operum misericordiarū distenti; deserti, cæterus exercitationi orationis & contemplationis addicti: sed in his omnibus aperta sunt flumina, & fontes, & stagna, & aquarū riuus, & nascuntur arbores formosæ, atque proceræ, quoniam & diuina gratia irrigantur, & homines proferunt, qui Ecclesiam sua puritate recreent, & robore, ac virtute suffalciant. In hoc igitur agro thesaurus perfectionis absconditur, quia huius sæculi sapientibus, & Domini misericordiam nescientibus, occultatur. Cuius causa Saluator noster aeternum patrē collaudat, dicens: Cōfiteor tibi pater, Domine celi & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. [Optima laus, & satis debita illi, qui thesaurū ab indignis abscondit, qui quod nobis præcipit, faciēs, nō dat laudē canibus, nec mittit margaritas ante porcos.] In-

Sapient. 6.

Luc. 12.

Mat. 6.

Sapient. 8.

Greg. hō. 11. in euang.

Isaia. 14.

Mat. 11.

Mat. 10.

uenit autē thesaurū in istum, qui simplicitatē, & humilitatē induit, & Deo docente, quanta sit vitæ religiosæ perfectio cognoscit. Inuenit, sed nodum possidet, quia non satis est ad perfectionē assequendam, si eā intellectu videas, & vbi lateat intelligas, nisi entitatis eā in tuos mores, vitamque transfundere, & omnium rerum dimissione cōmēre. Nam sicut aliud est videre in foro panē, & fame instigare illū appetere; aliud autem numismate dato, panem tuum facere, & tuæ necessitati prouidere: ita aliud est perfectionem cognoscere, atque scire; aliud verò hominem se ad illā disponere, & gratia diuina proueniente, & comitate, & subsequente comparate. Quid autem est thesaurū inuentum abscondere, nisi desideria nostra quib. perfectionē strimus, & labores, quibus eam operamur, a laudatione hominis occultare? Vnde Gregorius ait: studium cælestis desiderii à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc & ab humanis laudibus nō abscondit. Et ad eandē sententiam inquit Ambrosius: Hunc thesaurum sapientia, & cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba Scripturarū cælestiū, cum inuenit homo, abscondit illū in corde suo, nec diuulgat eum, sciens quia si diuulgauerit Babylonis thesaurum Dei, magnam offensam cōtrahet, ut dicatur ei sermone prophético: De semine tuo accipient, & faciēt spadones in domo regis. Per quod significatur, quia is, qui prodiderit diuina mysteria, posteritatē animæ suæ, seminariūque meritorū habere non possit. Caue ergo, ne diuitias tuas perfidius prodas, & si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non referes thesauros regios, quos Babylonij scire non debent, ne veniāt, & capiat posteros tuos, & seminariū virtutis abscondant. Hæc Ambrosius. Et quod ille de eloquiis diuinis cognitis dicit, nos de eisdē desiderio susceptis, & religioso statu quæstis dicamus; nimirū, quod abscondamus ea, & soli Christo placere curemus, ne inanis gloria bonū thesaurū à nobis inuentū surripiat. Sed opportuno tēpore si ageretur vasa Gedeonis, & cogitationes cordis nostri sine periculo reuelabuntur, & tūc lux nostri desiderij & conatus effulget. Si vis autē, o anima mea, hūc thesaurū à te cognitione inuentum, & simplici, ac puro desiderio absconditū, in tuum vsum accipere, vède omnia quæ habes, & eme vitæ religiosæ agrū, qui thesaurū perfectionis occultat. Iā vèdidisti terram, & quæ sunt extra te, cum epæ & voluptates deservisti, sed si te ipsam, & tuas volūrates nō deseras, nōdū omnia vendidisti. Non sunt condignū pretiū tam inestimabilis agri, quæ extra te sunt, nisi quæ intra te sunt, & te ipsam in eius pretiū libenter adijcias. Ideo necdū agrū habes, qui vèditione rerū omnium emitur; & religiosum statū professa, vita religiosa cares, (quæ sui ipsius abnegatione perficitur) & minimè virtutū religiosarū possessionem acquiris. Abnegemus nos ipsos, & contemnāmus omnia terrena, mundiolumque ipsum, qui nonnumquam latitat sub religioso habitu, spernāmus, ut verè dicatur de nobis, quia omnia vèdidimus. Et hoc generali pretio, quod nos ipsos, & omnia creata continet, agrum religiosæ vitæ comparēmus, qui tunc sanè in nostrum dominium trāllatus est, cū boni, & perfecti religiosi sumus. Quo empto, & in nostrū vsum, ac facultatem accepto, thesaurum perfectionis in eo absconditum, ac latentem reperiemus, cuius dulcissima possessio contēti, & nobiles in cælesti curia erimus, & omnia mundana tamquam vilia & contemptibilia ridebimus. Nam si habens thesaurum pecuniæ, vilissimum obolum parumpendit; quid mirum si habens Deum, & omnium bonorū spiritaliū cumulum perfectione comprehensum, mundana asperneret, quæ rebus spiritalibus com-

Greg. hō. 11. in euang.

Amb. in psal. 118. ser. 2. ad ven. 3.

Isaia 29.

Iudic. 7.

parata

parata, à Deo, & Angelis, & viris sapientibus, minoris quam nummus aureus vilissimus reputantur?

*Perfectionem vocari montem, in quem laborando conscendimus.*

CAPVT V.

**N**OMEN thesauri, quo dignitas perfectionis exprimitur, magnificum est, sed nomen motus multò magnificètius, quia mōs thesaurus solet abscondere, & immēlas diuitias occultare. Quare si hoc nomen perfectioni adaptatur, eo perfectio, licet & præcedenti, amplitudinem & augmentū accipit, quo maiora indicia sui decoris, & maiestatis ostendit. Vita ergo spiritualis perfectio factis Scripturis vocata est mōs, siue ille, in quē Dominus noster Iesus Christus legē Euangelicā promulgaturus ascendit, siue ille, in quo omnib. populis conuiuium præparauit, siue ille, quē regius vates montem pingue, & coagulatum iasserunt. Mōs enim ille, in quo Christus sermonē illū insignē prædicauit, & pauperes, ac mites, & lugētēs beatos appellauit, & qui antea aperuerat ora prophetarum, os suū ad nos docēdum aperuit, perfectionē significat, quam ipse, vt egregius concionator vita prætebat, & verbis, atque sermone declarabat. Quod Augustinus perspicue tradit, dicens: Si queritur quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data sunt. ] Et clariù postea interpretatur illud: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. ] his verbis: id est fundata super insignem magnamque iustitiam quā significat etiam ipse mōs in quo disputat Dominus. Nec nomen illius montis, qui (vt ait Hieronymus) erat mons Thabor, ab hac mystica significatione discedit. Thabor namque idē est, quod electio, vel puritas, & perfectio, vt finē quidem nostrarum actionum intendimus, sed vt medium ad æternā vitam assequendam eligimus, & nequaquā ab ipsa munditia, ac mentis puritate discernimus. Meritò autē Dominus perfectionis documēta daturus, priùs in mōtem, qui typum perfectionis gerebat, ascendit, vt Apostolos, & discipulos suos edoceret, ea ab ipsis sermone tradi oportere, in quē gressibus mētis ascēderint, & quæ vitæ meritis obtineant. Quod scribentes non possumus non lugere, & præ verēcundia confundi, qui tam sublimia aliis tradentes, nos ipsos ad ea opere præstanda non cogimus, nec saltē ea alicuius sollicitudinis digito attingimus. At mons ab Isaia demonstratus etiam perfectionem designat, cum dicit: Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguiū, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ. ] Mons, inquam, iste perfectio est aut vita perfecta, propter quā, siue Ecclesia, siue patria cælestis ex cælis dicitur, & instar mōtis sublimis, & alta nominatur. Quis enim erat hic mōs, nisi mōs Sio, qui interpretatur aceruus, vt & nomē huic mōti inditum perfectionē quoque; figuratam esse declarat, quæ nihil aliud est (vt ex dictis colligitur) nisi quidam omnium virtutum, & cælestium donorum aceruus, quem habēs anima, nec famem timet, neque alicuius rei indigentiam perhorrescit? Quod autem in hoc mōte Dominus vniuersis populis conuiuium lætitiæ faciat, illud sancti Dauid abundē confirmat. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion: quia ad omnium gaudium, & lætitiā, atque emolumentum perfectio, rāquam ciuitas regis magni in terra fundatur, & vt imago quædam patriæ cælestis erigitur. Vnusquisque etiā alicuius sancti, atque perfecti vitæ cōsiderans hoc euidenter intelliget. Nam quid quæso, aliud

**A** est vita Francisci, vita Dominici, vita Ignatii, aut alterius cuiusvis sancti, nisi conuiuium magnificum omnibus populis preparatum, in quo cibus accommodatis reficiantur, & non corporali fragilitati, sed spirituali indigentia, quæ multò maior est, abundē provideant: In eo tristis reficitur pane consolationis, infirmus fortitudine sustentatur, ignarus cognitionis luce recreatur, infidelis ad fidem, peccator ad gratiam & iustus ad sanctitatis desiderium adducitur. Ideo, ait Salomon, secunda mens, id est, virtute & sanctitate prædita, quasi iuge conuiuium, ] ad quam nullus accedit, qui nō cibos sibi dulces atque suaves, id est, suæ necessitatis remedium inueniat. Tandem mons ille Dauidicus vitæ perfectionē indicat, de quo sanctus propheta ait: Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos? Est namque perfectio mōs Dei, de qua in alio psalmo legimus: Iustitia tua, cuius ope amicos tuos honestas, & ornas, sicut montes Dei. Est inquam mōs Dei non tantum, quia ipse vitam perfectam in sanctis efficit, & supra res humanas extollit, sed quia in ea Deus domum suam regiam extruit, & templum, in quo adoretur, edificat. Quoniam inhabitabo in illis, ait, & in ambulabo inter eos, & ero illorum Deus; & ipsi erunt mihi populus. ] Est mons propter sublimitatem, qua vniuersa mundana post se relinquit, pinguis, propter charitatem, qua Deum, & proximum diligit; & coagulatus, seu multorum montium cōgerie compositus, quoniam omnium virtutum altitudinem comprehendit. Est mons Selson, in quo pax mentis acquiritur, & sensus rerum cælestium possidetur, & imagine fortis, id est, Christi, mons humana circumspatur, & virtutis vmbra protegitur.

**C** Huic nostro monti cælesti non desunt ea, quæ Isidorus terrenis montibus aptat. Nam si mōtes sunt natura sublimes, compositione solidi, terra affixi, calum erecti, aquarum origines, metallorum receptacula, fructuum & herbarū sedes, & lucis, ac splendoris domicilia; hæc omnia ita propriè perfectioni inesse conspicimus, vt nequaquam eam montem Dei, aut montē cælestem nominare vereamur. Non deest perfectioni sublimitas, qua supra valles, hoc est, homines iniquos, atque peruersos, & supra cāpos, id est, supra cōmunes bonos, & iustos; & supra colles, nimirum supra proficientes & ad alta tendentes, erigitur.

**D** Impiorum enim vitæ perfectio opprimitur, & obsecratur, aut quæ atra, & obsecratur sit, ostensione ingenitæ puritatis exponitur, quæ non tā verbis, quā ostensione virtutis iniquitatē damnat, & malorū impietatem erga Deū, & erga alios homines iniustitiam, & erga seipios præposteram dilectionem condemnat. Ob hanc autem causam mali iustos, & maximè perfectos persequuntur, quoniam vident illos iniquitatis hostes, & malitiæ contemptores. Hinc malorum vox est. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Camporum verò, scilicet, communium iustorum conuersionem, perfectio supergreditur; Nam sicut fundamenta montium in campis natura recit, & infimum illorum in istorum facie collocavit; ita perfectioris initia, & veluti fundamenta, super communem iustorum vitam locata sunt, quam supponunt, quam sancti, & perfecti deserunt, & vsque ad ipsum cælum caput attollunt. Ascendunt montes, & descendunt campi; inquit Dauid, in locum, quem fundasti eis. ] Mōtes (secundum Hieronymum) sanctos; & campi communes populos signant; illi ascendunt in locum, quem constituit illis Dominus, quia ad perfectionis mensurā sibi à Domino præ-

Matth. 5.  
1. a. 25.  
Psal. 67.

Aug. ser.  
1. de ser.  
Domini  
in mōte c.  
1. c. 6.

Hiero in  
Matth. c. 5.

Isaia 25.

Psal. 47.

Prov. 15.

Psal. 67.

Psal. 35.

1. Cor. 6.

Sapient. 1.

Psal. 103

Hier. ad  
eundem  
psal.

ordinatam perueniunt; & isti descendunt in locum, quem etiam constituit illis Dominus, quoniam iuxta uocationem suam gratiam recipiunt. Sed illi ascendunt, & isti descendunt, quoniam illorum perfectio, sicut mons istorum conuersationem superat; & camporum, id est, communium iustorum institutio, sanctorum perfectionem ueneratur, & maiorem ac sublimiorem agnoscit. Sed adhuc perfectio minime hac duplici sublimitate contenta, collium, id est, proficientium vitam post se relinquit, quia quadam sancta superbia incitata, non medium tantum uirtutis tenet (qua proficientes praediti sunt) sed in omni uirtutis culmen, & fastigium contendit. Quare illi optime per mysterium congruit, quod ad literam de perfectionis magistro scriptum est. Erit mons domus Domini prae paratus in vertice montium, & eleuabitur super colles. ] Habemus hic montem, & montes, habemus etiam domos, & colles. Mons singularis, & mons qui est domus Domini, perfectio est, uere regia Dei, & porta caeli, quae & Deo pacatissimum praebet habitaculum, & nobis pandit ad caelestes sedes introitum, montes, ut diximus, sancti sunt, & perfecti, & colles, qui in uirtute proficiunt, & ad perfectionem aspirant. Vnde Hieronymus ait: Nos autem motes & colles eos intelligamus, qui in excelsum uirtutibus eleuati sunt, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quos Dominus prouocat ad bibendum. Qui enim biberit de aquis eius, non sitiet in aeternum. Et Bernardus ad idem aduersarij nostri miserias enarrans. Quam miseriosus, inquit, est diabolus, cum respicit terram, montes nihilominus quam plurimos de populo acquisitionis habere fide solidos, spe excelsos, charitate speciosos, cultos uirtutibus, bonorum operu fructibus repletos de rore caeli tamquam de saltu spongi quotidianam capientes benedictionem. ] Mons est in vertice montium, quia perfectio ipsos, quos affert, sanctos, & perfectos excedit, cum illi numquam omnes diuitias perfectionis capiant, neque eius ambitum, qui infinitus est, comprehendant. Si igitur mons iste noster montibus, id est, ipsis sanctis, atque perfectis omnibus, est sublimior, quanto magis sublimitate colles minores, & humiliores excedet, atque proficietis, & ad perfectionem anholantes superabit. Vide quanta sit huius montis altitudo, quanta perfectionis creatae sublimitas, quae solum Deum altiore respicit, a quo creata est, omnes uero sanctos, & Angelos (eo ipso quod non tota perfectionem possibilem, sed partem tantum eius accipiunt) infra se tamquam filios & tamquam discipulos ab ea aliquid addiscentes, & esse spirituale, atque substantiam recipientes derelinquit.

Mons iste perfectionis sublimis, etiam est solidus & firmus, quem non intus aer uanitatis complet, non uentus superbiae, & ambitionis inflat, sed uerissimarum uirtutum, ac amplissime puritatis copia distendit. Similis omnino in hoc, monti terreno, quem Augustinus terrae tumorem appellat. Nam sicut istum tumorum, non aer, non aqua, sed multitudo glebarum, & copia terrae facit, ita spiritualis uita perfectionem (quae uelut quidam tumor, aut quaedam altitudo spiritus est) non superbia, non inanis gloria, non iactantia, sed praestantia uirtutis, sed donorum multitudo, sed abundantia puritatis efficit. Nec immerito perfectionem Ecclesiae uentre appellauerim, de quo in canticis dictum est: Venter tuus sicut aceruus tritici uallatus lilijs. ] Nam sicut uenter natura sua tamen, & aliis partibus corporis supereminet; ita sanctitas non ab aliquo externo inflatur, ut maior appareat, sed seipsa maior est, & tantum ingenua dignitate communem uirtutem exuperat, quantum maiori humilitate descendit. Hic autem uenter iure optimo tritici purgatissimi aceruo

A comparatur, quem non palea, sed selectissima, & candidissima grana componunt, ut perfectionis soliditas exprimat: quia sicut aceruus frumenti totus frumentum est; ita perfectio est perfectarum, & selectarum uirtutum congeries, quas perfecta charitas inseparabiliter secum habet, & in supremo gradu sibi conciliat. Tunc uero hunc Ecclesiae uentrem lilia uallant, cum anima sancta, quae instar liliorum candore fulgent & suauissimo odore fragrant perfectionem ex qua suu candorem, & suauitatem mutuatur, operibus & desiderijs circumdatur. Sed quid est hic mons in terra fundari, & radices suas in imo collocare, nisi perfectionem huius uita, a corporali necessitate nunquam auelli? Quis enim sanctorum mortalitate circumdatus, quantum uis uirtutibus fulgeat, & rerum caelestium desiderio ardeat, non sapere carnis pungatur, & rationibus urgetur, persecutionibus affligatur, aut saltem corporea molestia, & infirmitate turbetur? Non mirum est, quia si perfectionis mons potest terram superare, & terrenam conuersationem deserere, at non potest omnino a terra se eximere, nec terrenam necessitatem effugere. Quare in hoc exilio non est, qui se penitus ab onere alicuius laboris expedit, etiam si innocens, & sanctus existat. Si impius fuero (inquit Iob) uae mihi est, & si iustus, nequaquam laborem aut afflictionem; effugiam, quia non leuabo caput meum saturatus afflictione, & miseria. ] Impius uae habet (ait in eum de locum Gregorius) & iustus miseria, quia & aeterna damnatio reprobis sequitur, & electus quilibet doloribus transitoria aduersitatis expiatur. Impius caput leuat, sed elatus euadere uae quod sequitur, non ualeat. Iustus labore sui certaminis affligitur, caput leuare non sinitur, sed pressus a perpetua afflictione liberatur. Ille se in uoluptatibus erigit, sed supplicij sequentibus mergit. Ille se in dolore deprimat, sed tamen a pondere aeternae animaduersionis abscondit. ] Istud itaque discrimen inter uallem, & montem constitutum, quod uallis, id est, uita iniqua, a terrenis curis opprimitur, & ab iniquitatibus absorbetur: at mons, id est, uita iusta, atque perfecta, ita supra terrenam conuersationem se eleuat, ut tamen in terra & inter homines statum suum habens, necessario aliquas terrae perturbationes, & sollicitudines sentiat. Verum hic labor ab ineuitandi corporis necessitate proueniens, a quo animo a sanctis & perfectis uiris ferendus est; quia si eorum uita per corpoream infirmitatem, sicut mons, est terra coniuncta, at per desiderium, & mentis puritatem, sicut mons, est uersus caelum erecta. In quo profecto uita perfectio montis similitudinem habet, quod in caelum usque caput suum eleuet, & super eius uerticem perfectus quisque constitutus, inde non per superbiam, sed per amorem caelum expugnat. Nonne homines uoluerunt turrim excelsam aedificare, ut diluuium aquarum si iterum immineret, effugerent, & diuinam iram non timerent? Venite, dixerunt, alter ad alterum, faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen peringat ad caelum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in uersas terras. ] Uoluerunt quidem, sed non potuerunt: quomodo enim possent turrim ad caelum usque pertingere, qui ab oriente recesserant, a Dei uoluntate defecerant, & non ad caelum, sed gehennam pertinebant? At quod illi non potuerunt, potuit Deus, & aedificauit sanctitatis turrim, & perfectionis montem ipse fundauit, in caelum erectum, imò & caelum ipsum summitate tangente, in quo homo non propria industria, sed beneficio Dei diluuium, id est, punitionem peccatorum euadat, & ignium uortices in Sodomam prae paratos aufugiat, & cui dicit Dominus: Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa re-

Isai. 21.

Hieron. lib. 9. in Isaiam ad c. 30.

Bernardus, ser. 54. in celi.

Iob. 10.

Greg. 9. mor. c. 52.

Genes. 11.

Augustinus in Psal. 103.

Cant. 7.

Genes. 19.

Hugo. lib.  
2. de  
vita  
mundi ad  
mediū.

gione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pe-  
reas. ] Tunc re vera iustus post tergum non respicit,  
cū ad peccata, quæ reliquerat, & ad desideria sæ-  
cularia non redit. Et tunc sursum in montem ascen-  
dit, cū cælestia cogitat, superna amat, & bona  
spiritualia obtinere procurat. Vnde Hugo ait: Qua-  
dam corda sursum sunt, quædam semetipsa deorsum  
demererunt: Deorsum sunt illa corda, quæ configu-  
rantur huic sæculo: sursum verò sunt illa, quæ con-  
uersationem suam habent in cælo. Deorsum sunt, quæ  
terrena sapiunt; sursum sunt, quæ iugiter meditantur  
cælestia. Secundum id ergo cui per amorem coniun-  
gitur cor hominis, sursum, aut deorsum esse iudica-  
tur. ] Vide quam sit perfectionis mons in cælum e-  
rectus, qui habitatores suos, nimirum sanctos, at-  
que perfectos, in cælum effert, & ad cælestium rerū  
odorem, ad quamdam vitæ cælestis participationem  
extollit.

Theod. g.  
18. in nu.  
Num. 11.

Non desunt huic sacro monti aquarum recessus,  
in quibus aquæ cælestes, id est, gratiæ & Dei dona se  
recipiant, vt inde in colles & campos descendant, &  
in vltimū bonorum fluant. Nam sicut Moses spiritum  
abundantissimum prophetiæ & gubernationis acce-  
perat, quæ sine detrimento suo (vt Theodoretus ait)  
posset in alios effundere, vnde audit: Congrega mihi  
septuaginta viros de senibus Israel, & auferā de spi-  
ritu tuo, tradamq; eis, vt sustentet tecū onus populū  
sancti ad perfectam virtutem admissi, gratias, & dona  
humilitatis, castitatis, & aliarū virtutū recipiunt, tam  
magna atque copiosa, vt possint ea cōmunicare aliis,  
& potentia verbi, ac actionis exemplo ad virtutū stu-  
dium, & amorē valeāt suos fratres permouere. Quod  
sanctus Dauid illo carmine decātauit: Suscipiāt mon-  
tes pacem populo, & colles iustitiam. ] Tunc mōtes  
pacem suscipiunt populo, cū ei gratiam iustificatio-  
nis & reconciliationis impetrant; & colles iustitiam,  
cū populum ad morum correctionem; & ad san-  
ctam conuersationem inuitant. Et propterea quisque  
iustus mentis obrutus à sanctis, & perfectis, auxilium  
efflagitat, dicens, Leuaui oculos meos in mōtes, vnde  
veniet auxilium mihi. ] Hoc ipso confitens perfectio-  
nis montem, à quo isti habent, vt montes id est, ex-  
celsi, & sublimis habeantur, è calis aquas gratiarum  
accipere, vt eas possint in egenos, ac sitibundos de-  
riuare. Nō desunt etiam huic mōti metallorū venēdi-  
tissimæ & talentorū sibi cōmissorū repositoria, quibus  
Ecclesiā ditat, atq; sustentat. Perfectis enim tam-  
quā feruis fidelibus dare solet Dominus aurū, sapiē-  
tiæ, argentū eloquii, & as cōstantiæ, ac fortitudinis vt  
alios illuminent, doceant, & in fide, aut in virtute sta-  
bilitat. Nā quid est Ecclesiæ sanctitas, nisi mons aureus  
splēdore suo infideles à luto cęcitatis auertēs, & ad  
querendā pulchritudinē veritatis alliciens? Quid est  
Ecclesiæ puritas, nisi mons argenteus, claritate verbi  
venientes edocens, & in itineribus, salutis erudiens?

Psal. 71.

Quid est Ecclesiæ perfectio, nisi mons æreus sua  
stabilitate ac fortitudine, aduersus quem portæ inferi  
non praualebunt, paruulos protegens & ab omni in-  
cursu aduersarij defendens? Quid sunt sancti, & per-  
fecti viri, nisi veluti quidā monticuli super hunc ma-  
gnū montē collocati, à quo diuitias auri & argenti,  
sapientiæ nimirum & puritatis, & robur æris, & ferri,  
scilicet patientiæ, & longanimitatis accipiunt? Verē  
montes, de quorum medio quatuor quadrigæ egre-  
diuntur, id est, omnes vitiorū turba; quæ à sanctis fu-  
giunt, & montes ærei, qui instar murorum, infirmos,  
& pusillimos ciungunt, & ab incurſu vitiorum de-  
fendunt, & ipsa vitia fulminibus, hoc est, amarulentis  
reprehensionibus persequuntur. ] Hic mōs nō est hor-  
ridus, nec sterilis, sed abundatia herbarum & florū pul-

Psal. 120.

cher, & arborum fructiferarum copia frugifer. A quo  
cælestes cogitationes tāquā folia virida & purissima  
amoris & maioris puritatis desideria, tamquam pul-  
cherrimi flores pullulāt, in quo etiam virtutū actio-  
nes, tamquā arborum suauissimi fructus nascuntur. Et  
implet dominus illud mirabile, quod in Isaia pollici-  
tus est: Erit desertum in Charmel & Charmel in saltū  
reputabitur. ] Cū vitæ prophane sterilitatem in  
Charmeli pulchritudinē, & fructus sanctitatis cōuer-  
tit, & hos fructus nō solū in suū obsequiū referuat, sed  
in iniquorū vilitatē prodire facit. Si enim salus est,  
vbi pastiones pecorū sunt, quid erit Charmel in sal-  
tum reputari, nisi perfectionis montē in Ecclesia etiā  
ad pastum hominum peccatorum exponi, ne scilicet  
propter merita sanctorum mali pereant, & ex illorū  
vita isti exemplum emendationis accipiant? Denique  
hic perfectionis mons tamquam locus excelsus, atque  
sublimis prius solis iustitiæ radios excipit, & luminis  
splēdorem admittit, quem in loca inferiora, id est,  
in eos qui vitam minū perfectam sectantur, sensim,  
paulatimque diffundat. Vnde Prosper bene ait, mō-  
tibus Ierosolymā, id est, Ecclesiam cingentibus An-  
gelos, & Apostolos, Prophetas designari, qui lumē  
veritatis de supernis accipiunt, vt ab inferiorū cordi-  
bus tenebras ignorantie dispellant, & lumen veri-  
tatis infundant. ] Est igitur perfectio mons, in qua si  
montis celsitudinem quaras, vitæ sublimitatem in-  
uenies, si soliditatem inquiras, non vacuum, sed do-  
notum sui generis amplissimorum, & perfectorum  
refertum reperies: si locum, & radicem respicias,  
terrenam fragilitatem, à qua se erigit iste mons aper-  
tè videbis: si culmen perfectionis cogites cælum  
respicit: si interiora consideres, aquas gratiarum,  
& metalla donorum continet: si exteriora animad-  
uertas, purissimis desiderijs, & sanctis operibus tam-  
quam floribus, & fructibus nitet, & veritatis lumine  
fulget.

Zach. 6.

O mons sancte, mons excelsus, mons pulcherrime,  
vel vt veriùs loquamur, o mons qui es ipsa sanctitas,  
ipsa sublimitas, ipsa pulchritudo; mons in quo be-  
neplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus  
habitabit in sinem. ] O mōs benedicat tibi Dominus  
pulchritudo iustitiæ, mons sancte in quo iustitia in-  
habitat, & sanctitas suam sedem constituit. ] Quis as-  
cendet in montem Domini, aut quis stabit in loco  
sancto eius? Certè innocēs manibus & mūdo corde,  
qui non accepit in vano animā suā, nec iurauit in  
lo proximo suo. ] Vis o religiose in hūc mōtē ascēde-  
re propter eius ascensum te rebus omnibus terrenis  
nudasti, & onere curarum expediti? Relinquitur  
cū ipsis sæcularibus rebus earum amorem: omniū,  
quæ non sunt Deus, aut ascensus in Deum; sollicitu-  
dinē desere, & mentem excelsam & vilia contentēntē  
acquire. Vt enim, inquit Ambrosius, ille non ascendit  
in montem, qui de sæculi diuitijs, aut de honore, sol-  
licitus est, non ascendit in montem, qui fundi ius op-  
tat alieni. Ascendit ille, qui Deum quatit; ascendit il-  
le, qui cursus sui Dominica adiumenta deposcit. Om-  
nes magni, omnes sublimes montem ascendunt. Non  
enim cuiuscumque propheta dicit: Ascende montē ex-  
celsū, qui Euangelizas Siō: exalta in virtute vocē tuā,  
qui Euangelizas Ierusalem. Non vestigijs corporali-  
bus, factis sublimioribus ad hunc montem, si ascen-  
das, sequeris Christum vt ipse esse mons possis. ] Si-  
mili ergo vita, similibus operibus, ac desiderijs in  
hunc montem perfectionis ascendens. In cuius celsi-  
tudine, si aliquando pedes collocaueris, quid stupen-  
dum, & modis omnibus admirandum experieris.  
Nam sicut qui montis altissimi cacumen inhabitat,  
ea quæ in campis, & vallibus sunt, minima reputat

A

B

C

D

E

Isaia 32.

Prosper in  
Psal. 124.

Psal. 67.

Ierem. 31.

Psal. 13.

Ambrosius  
Lucæ. 6.

Isaia 50.

Lucianus de Icaro & Meisippo.

Athan. in vita Antonij.

Eccles. 2.

Psal. 63.

Psal. 10.

aded, vt multa, quæ si in monte essent, magna apparerent, eminus, & in valle posita, nec obatu respiciat: ita & tu ad sublimitatem perfectionis euectus, omnia mundana tamquam in valle mutabilitatis constituta, minima reputabis, & tamquam vilissima, & nec hominis respectu digna contemnes. Si enim ille fictus Menippus, Icarum præsumptuosus imitator, alis à se compositis, vt ipse mentitur ad orbem lunæ subuectus, & inde terrena prospiciens, ridere non cessat hominum ignorantiam, qui de agrorum possessione gloriabantur, & pro regnorum imperio decertabant, & de auri, & argenti copia superbiebant, cum tamen optimus ager non maior, quam vnus Epicureus atomus, & regnum non latius quam lens Ægyptia, & locus auri, & metallorum ferax, velut paruulum granum milij sibi videretur: Quidni tu non fictè ad lunæ cælum, sed verè ad perfectionis celsitudinem, & Dei similitudinem subleuatus, diuitias huius mundi ridebis, honores despicias, & quidquid fulget in sæculo toto corde aspernaberis, quod non tantum minus atomo minimo reputabis, sed læpissimè molestissimum iudicabis, & nonnumquam præ eius modicitate nec oculis internis aduerteris. O quam longe à te discedet ambitio, & prælationum, ac dignitatum procuratio; quæ verè fugiet à corde tuo diuitiarum amor, & voluptatum desiderium, cum alia sine vlla comparatione maiori dignitate cohonestatus (quæ in vnione ad Deum, & in perfecta charitate cõsistit) & aliis diuitiis, & delitiis in infinitum maioribus inebriatus, dignitates sæculi, aut religionis onera importabilia, & periculosa iudicabis, & opes atque delicias animæ sordes, mētis compedes, & virtutis esse impedimenta, videbis. Ex hoc monte, his oculis mundana aspiciebat Antonius, cum apud Athanasium ita de diuitiis temporalibus loquitur. Nemo cum adspexerit mundum, reliquisset se arbitretur ingentia; quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum, breuis, ac parua est. Si ergo nec vnuerso orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compescere cælestibus: Se vnusquisque consideret, & statim intelliget paruis thesauris, & parietibus, vel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere quasi magna dimiserit; nec tædere quasi parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam græam drachmam, ad drachmas centum aureas conquirendas; ita etiam qui totius orbis dominium dereliquit, centuplum de melioribus præmijs in sublimi sede recipiet. Ad summum illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare diuitias, cum lege mortis ab ipsis diuellamur inuiti, vt in libro Ecclesiastes scriptum est: Quia nescit homo, quid sit post eum in labore suo.] Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna cælestia vltro relinquimus, quod lucis istius sine perendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secam auferre non possunt: illud potius debemus expetere, quòd nos ducat ad cælum; sapientiam scilicet, castitatem, iustitiam, virtutem, sensum peruigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sestantes, mansionem nobis in terra quietorum, secundum euangelium præparabimus.] In monte erat, qui res mundi oculis mundanorum maximas, tam minimas iudicabat. Longè ab illis erat, qui tam exiguas, & nullius momenti existimabat, & solam virtutem, ac sanctitatem prope positam, suspiciebat. Accede ergo & tu, o religiose, ad cor altū. ] vt exaltetur in te Deus, & licet in Domino confidas, transmigra tamen in montem sicut passer, ] ne rerum terrenarum specie fallaris. Ecce peccatores intenderunt arcum, paruertunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro,

A nimirum in dolo, & falsitate rector corde.] Ideò si in Iudæa es, in loco vbi confitemur, & glorificamus Deum; fugias ad perfectionis montem, ] in quo hostium tuorum persecutiones euades, & ex quo tam vilia, & nullius pretij omnia terrena apparebunt, vt iniquum reputes de recto virtutis descendere, ad accipiendum aliquid de domo tua; aut ex agro vitæ religiosæ reuerti, ad tollendum tunicam tuam. In hoc monte habebis tunicam puritatis, qua vestieris, & possidebis illud aliquid, scilicet Deum cuius comparatione omnia nihil sunt, (quo diues, & scilicet efficiaris) quibus haud dubiè terrenis rebus non indigebis.

Mat. 24.

B *Perfectionem vocari regnum Dei, vel regnum cælorum, quod violenti diripimus.*

C A P. VI



Ostreum perfectionis nomen, eorum quæ exponere decreuimus, est regnum Dei, vel regnum cælorum. Quod omnium nominum perfectioni attributorum nobilissimum est, quia non iam sub alicuius rei terrestris imagine mentis puritatem designat, sed sub typo scilicet celestis eius dignitatem delineat, atque figurat. Dei autè vel cælorum regnum, non tantum beatitudinem nobis in alia vita promissam, sed etiã perfectionem in hac vita sanctis concessam significat, Cassianus manifestissimè tradit, dum illud orationis dominicæ: Adueniat regnum tuum, ] his penè verbis explanat. Secunda petitio mentis purissimæ aduenire iam, iamque regnum sui Patris exoptat: vel illud scilicet, quo quotidie Christus regnat in sanctis, quod ita fit, cum diaboli imperio per extinctionem scelerum vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam cœperit dominari, & deuicta fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcata superbia humilitas, in nostra mente regnauerit. Vel certè illud, quod præstituto tẽpore omnibus est perfectis, ac Dei filijs generaliter repromissum.] Eadem ratione regnũ Dei (quod profectò non est aliud, quam regnũ cælorum) interpretatur Chrysostomus; vt nunc Gregoriũ Nysenum, Hieronymũ, & Ambrosiũ omittam. Regnum Dei (inquit ille) dicuntur & sancti, sicut scriptũ est: Et colligent zizania de regno eius, hoc est, de populo Christiano. Regnũ Dei dicitur, & iustitia, sicut dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.] At nolo verba Bonauenturæ dulcissima eundem sensum amplectentia prætermittere. Tunc, inquit, regnum Dei in animam venit perpetuo solio stabilitum, quando in tantum virtus ardentis amoris præualeat in spiritu, vt nõ solum inordinationes interiorum sensuum velocissima insurrectione viriliter comprimens, domina totius regni spiritualis appareat, sed cum virtute ipsius amoris omnia acta iudicio rationis presentantur, vt illud quod plus dilecto placere decreuerit, semper in omni actu exerceat, & cætera.] Perfectio igitur est illud regnũ, de quo, alio loco affirmat constanter Dominus; quoniam regnum Dei intra nos est.] Quod namque aliud regnum intra nos ipsos esse commodius dici potest, quam vera virtus & cumulatissimum meritum, vt inquit Eucherius, quorum illa nos Deo perfectè subdit, vt non regnet peccatũ in nostro mortali corpore, sed Deus ipse dominetur in nobis; istud verò nos tamquam ab regnũ Dei pertinètes, facit bonorum cælestium participes, & opum sempiternarum constituit

Matth. 6. Cassian. col. 9. c. 18

Chrys. in imperf. hom. 14. Gre. Nys. sen. lib. de orat. Dominica. Hieron. in Mat. c. 5. Amb. lib. 5. de sacram. c. 4. Bonauent. in mystic. Theolog. part. 2. pe. tit. 2.

Luca 17.

Eucher. 99. in Luca.

Rom. 14.  
D. Thom.  
ibid.

Basil. in  
Psal. 32.  
in illud.  
Nō salua  
tur rex  
per multā  
virtutē.  
I. Cor. 13.

Psal. 85.

heredes. Hoc est illud regnum amplissimum, & omnibus sæculi imperiis præferendum, de quo Paulus ait: Non est enim regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Regnum enim Dei hoc loco (vt Thomas exponit) nihil aliud est, quam id per quod Deus regnat in nobis, & per quod ad eius regnum æternum peruenimus. Quod sanè, nō in esca, & potu, aut aliqua re terrena positum est, sed in vera, perfecta, & consummata iustitia. Hæc autem est, qua homo sibi ipsi, quod suum est, scilicet peccatum verissima confessione tribuit; & proximis cum opusest bona, tum temporalia, tum spiritualia concedit: & Deo pietatis cultum, mandatorum obseruantiam, beneficiorum gratitudinem, & verum, ac fidelem amorē impertit. Hæc est, quæ in tantum crescit, vt passionibus, & affectibus consopitis pacem, & mentis tranquillitatem habeat adiuncta. Hæc est, quæ ex pacis abundantia gaudium generat, non de prosperitate mundi conceptum, sed de spiritus sancti præsentia generatū. Hæc consummata iustitia, in qua vitæ spiritualis perfectio constituitur, cuius est nos cum Deo, & cum proximis, & cum nobis ipsis componere, regnum Dei à Paulo nominatur, quod non in aliquo bono corporis, sed in rectitudine mentis constituit.

Optimè autem perfectio regni Dei, aut regni cælorum nomen accipit, quoniam eius causa Deus regnat in sanctis, & in iustorum mentibus iura regis, & imperatoris exercet. Regnum enim vel est suprema potestas, quam princeps in sibi subiectos habere dicitur, secundum quam acceptionem Basiliius ipsam, legitimam præfecturam; vel supra omnes principatum peccato minimè obnoxii appellauit; aut est ipsa reipublica regi subiecta, in quo sensu Paulus, sanctorum collectionem Christi regnum vocat, his verbis. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri. Vtræque autem ratione perfectio est regnum cælorum, aut regnum Dei. Ipsa enim est potestas quædam à diuina potestate deriuata, & mentibus sanctorum, seu perfectorum impressa, quæ in omnibus (prout fragilitas humana permittit) Deo supremo regi subicit, & iuxta præscriptum diuinarum legum ipsorum affectibus, actusque componit, ne vquam à Dei voluntate descendant. Ipsa est, quæ in mente perfecta tamquam in folio imperij sedes, & officio pro regis fungens, vel (vt melius dicam) ipsius Dei potestatem referens, peccata tamquam animæ reipublicæ noxia, procul relegat; Daemonum scilicet hostium nostrorum conatus reprimat, insultus arcet, fallaciasque dissoluit: virtutibus tamquam ancillis faciendæ, & moderandæ designat; potentias virtutibus & cælestibus auxiliis adiutas, suauissima quadam morione ad opus impellit; & quicquid ab bonam mentis gubernationem necessarium est, solertissima prouidentia præscribit. Ipsa est, quæ ad modū potestatis, quam Deus gerit in cælis, perfectos viros, non timore pænæ non præmij spe, sed solo regit amoris affectu: non minis, & terribus adigit, sicut in terrena reipublica fieri consuevit, sed more dilectissimæ matris, mellifluis sermone, & dulcissima inspiratione demulcet, & ad bonum præstandum, & malum vitandum stimulat: non flagellum, aut gladium, vt seruis, sed pomum, & gemmam, vt charissimis filiis ostendit. Non erit istud mirabile considerantibus, quoniam perfectio est regnum Dei, qui cum sit suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus se, regnum suum potius vult amoris & dulcedinis imperio regi, quam timoris, & formidinis habenis gubernari. Et adhuc stuporè minuet aduertere, quia perfectio est regnum cælorum, quæ sicut Emphyreum cælum non continet nisi filios Dei, filios obsequentissimos, quorum vnum

A desiderium est cælesti patri obsequi, suo genitori placere, & non solum apertæ Dei voluntati, sed minimo quoque diuinæ voluntatis indicio in omnibus obedire. Filij autem, & tales filij non metu, non virga, & baculo cogendi sunt, sed amore, sed præmio, sed blando sermone tractandi. Omnes namque ad hoc regnum pertinentes, tales sunt, vt non in magnis tantum criminibus, sed in minimis etiam peccatis, aut defectibus, se ipsos arguant, atque diiudicent. Lex verò est ex ore Pauli promulgata, vt qui se ipsos corripunt, non seuerè corripiantur sed dulcedinis spiritu gubernentur. Quod si nos ipsos diiudicemus, inquit, non vti que iudicemur. Vita ergo, & conuersatio perfectorum se ipsos seuerissimè iudicium exposcit, vt eos diuina potestas blandè, & suauiter, regat, & in illis se regnum cælorum esse, id est, regnū amabile, & in spiritu lenitatis procedens euidenter ostendat.

B Huius verò dulcissimæ, & planè cælestis gubernationis effectum, & causam, à nobis assignatam, à qua procedat, Ieremias propheta sub nomine illius filij, qui ius primogeniti Deo concedente promeruit, manifestè designat. Audiens audiui, inquit, Ephraim transmigrauentem. Ephraim, qui frugiferum, aut crescentem significat, quem melius indicare poterit, quam numerum perfectorum qui in hoc quidem mundo tristitia habent, sed in posterum ipsi gaudebunt, & gaudium eorum nemo tollet ab eis. Qui licet apud iniquos omnium minimi appareat, & vita eorum reputeret infania, & finis ipsorum sine honore, tamen apud Deū re vera sunt maximi, & primogeniti, & apud homines quoque maximi iudicabuntur, cum illorum felicitate conspecta dicent: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Dum itaque iste populus perfectorum transmigrat, & à proprio solo peccati, in quo infelicitate natus fuerat; in terram alienam, non vbi captiuus sit, vt terrenus Ephraim, verum vbi liberi, & sælix existat, velociter transit, se ipsum ob antiqua delicta, & ob quotidiana errata castigat, dicit enim: Castigasti me Domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus; postquam enim conuertisti me, egi penitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum. In hoc statim peccata lamentate, & delicta lugente, Dominus suam præfecturam esse regnū Dei, & regnum cæli, quo amore & blanditiis regitur, manifestè declarat. Quomodo enim hunc lugerem, hunc, seipsum corripientem, hunc desolatum alloquitur? Certè ita.

C Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo adhuc recordabor eius. Ideo conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius. An non regnum Dei, & regnum cælorum omnes illius supernæ patriæ ciues honoribus summis amplificat: Nā & Dominus ipse præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Sed Ephraim, id est, perfectorum numerus, sicut cociuis illorum ab ipso vti que Domino honore afficitur, & honorabilis, hoc est, honore dignissimus pronunciat. An non regnum illud cunctos beatos delicatè, imò & delitiosè tractat, quos cibo Angelorum satiat, & indumèto gloriæ circumdat, & ab omni labore, & miseria liberat? Sed noster Ephraim delicatus vocatus est, & (vt est in Hebræo) ad patris sui delicias educatus, quem Dominus ipse, diuinis consolationibus, non semel reficit, amictu puritatis vestit, & ab omni aduersarij incurfū: quia & Angelis suis, ait, mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. An non regnum illud ita omnes beatos sub Domini cura conseruit, vt

D nec

I. Cor. 11.

Ierem. 31.

Ioan. 16.

Sap. 5.

Iero. 13.

Ibidem.

Luca. 12.

Psal. 90.

nec ad momentum, non solum à gratia, sed nec à Dei conspectu separari permittat. Sed & perfectionis vis tam fortiter mentem astringit, vt modò homo velit, nec illam à sui creatoris gratia, nec à benignissimo oculorum eius respectu excidere patiatur. Nam & oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autè Domini, id est, facies irata, & oculi minaces, super facientes mala. Quod autem misericors Domini respectus in iustos ac benigna recordatio multorum bonorum origo sit, quo ipsi à misericordiae Patre protegentur, docet Petrus hunc eundem psalmi locum adducens, qui hæc verba subiungit. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Ac si diceret: si virtutis & sanctitatis amatores vos exhibueritis, quis nocebit vobis, oculis benignissimæ prouidentiae protectis, quæ vos, vt filios respicit, & expandit alas suas, vt à diaboli defendat incursum ac in altum vitæ perfectioris effert, & portat in humeris suis. Demùm, si regnum illud cælorum totum misericordiae est, in quo iustitiæ punientis gladius veluti rubiginè contrahit, quia nihil inuenit, quod possit punire: ita perfectionis regnum misericordiae & benignitatis est, cum semper in sanctos suos, ac feruètes spiritu, Dominus innumerabiles misericordias effundat; & si non omnimodam puritatem, sicut in cælo, ac parum & leue, quod corrigat, & puniat, inueniat. Si ergo Dei aut cælorum regnum ipsam Domini regiam potestatem significet, satis congruè perfectioni attribuitur, quæ potestas supernaturalis est, à Domino in sanctorum animas transfusa, qua eas amore regit, charitate gubernat, & dulcedine quadam filiis regni seruata paulatim ex creaturis terrestribus, in mentes spirituales & cælestes transformat.

At si regnum cælorum non iam pro regio Dei principatu, sed pro cælesti republica Domino subiecta accipiat, non minùs propriè sanctorum & perfectorum collectio, quatenus perfectionis iura custodit, potest vocari regnum cælorum. Ipsi perfecti sunt cæli, qui multò meliùs quàm cæli corporei enarrat, gloriam Dei, & opera manus eius annunciant: quia si in istis Dei virtus & potentia conspiciuntur; in illis ipsius bonitas ineffabilis, & infinita sanctitas, simul cù omnibus aliis Dei perfectionibus mirificè declaratur. Quis namque aliquem sanctum considerans, vt Laurentium, aut Stephanum, aut quemlibet alium, siue adhuc in terris viventem, siue in cælestes mansiones translatum, non videat in eo tamquam in quodam splendidissimo cælo, Dei inuictam fortitudinem, immensam charitatem, infinitum bonitatis amorem elucentem, & reliquas Dei virtutes emicantes: quas hoc cælum pulcherrimum non effectis naturalibus, vt orbès cælestes, sed meritis supernaturalibus, sed profuso cruore, sed tormentis, sed tribulationibus perpeffis enarrat. Equidem puto, quia cælum hoc perfectiùs, quàm cæli opera manuum Domini annunciat, quia quicquid virtutis & sanctitatis est in eo, non iam vestigium potentiae Dei refert, sed Christi Patris imaginem in seipso repræsentat. Vnde quidam istorum cælorum audet, & dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Existimans sicut re vera est, se Christi imaginem esse, operibus & exemplis Christi opera denunciantem, quam alij fideles sine vilo periculo sequi possunt, vt Christum imitentur. Hi sunt cæli, de quorum fabrica, vt putat Gregorius, ipse Dominus gloriatur, & quorum stabilitatem collaudat, cum ait Iob: Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt. Possunt, inquit sanctus Doctor, per cælos electorum mentes exprimi, à cunctis terrenis cõtigiis intimo amore suspensæ. Qui quamuis corpore degant in infimis, quia tamen corde iam

inhærent in summis, veraciter dicunt: Nostra conuersatio in cælis est. Qui solidissimi vt ære fusi sunt, quia ab integritate cœptæ fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine cõsumuntur. Quibus & fortiter contra aduersa duratibus auctoris voce dicitur: Vos estis amici mei, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hi sunt cæli, non iam in suprema orbis visibilis regione, sed in imo terræ fabricati, vt Dominus, etiam in terra habet in cælos non vndecim, sed innumerabiles, in quibus libentissimè conuiescat. De his cælis pulchrè dixit Ambrosius: sunt in terris cæli, qui narrat gloriam Dei. Qui sunt isti cæli? Audi dicentem: sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus & imaginem huius cælestis. Isti igitur sunt cæli, qui etiam in terris positi audent dicere: Nostra autè conuersatio in cælis est. Isti sunt cæli, in quibus fides, grauitas, continentia, doctrina, vita cælestis est. Nam quemadmodum terra dictus est, qui lapsus ex illa præuaricatione cælestis gratiæ, & in hæc vitia terrena deiectus, præuaricationis suæ se vinculis religauit: ita è contratio cælum dicitur, qui vitam Angelorum custodia integritatis exercet, & corpus suum continentia sobrietate moderatur; mētem quoque suā miri tranquillitate componit; pecuniā pauperibus misericordie liberalitate dispensat. Est ergo & in terris cælum, in quo possunt virtutes esse cælestes. Cælum mihi thronus, ego magis iusti affectu, quàm elementum intelligo. Illum puto cælum, ad cuius animā venit Christus, & pulsat ianuā, & si aperuerit, ingreditur. Sancti igitur & perfecti viri sunt cæli claritate perspicui, quos radij iustitiæ solis illuminant, in cuius lumine dū fallacias sæculi, & virtutis dignitatem intuentur, vident veritatis lumen. Ipsi sunt iustarum cælorum, capacitate maximi, quos solus Deus replet, & omnis creatura vacuus derelinquit, quorum cõfessio est: Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ipsi sunt nõ corpore, sed mēte rotundi, siquidem quicquid cogitant, quidquid desiderant, quicquid vt bonum faciunt, vel vt malum omittunt, id totum à Deo incipiunt, & in eodem Deo tamquam in puncto circuli finiunt: Habentes cum Paulo gloriam in Christo Iesu ad Deum, & non vanum honorem ab hominibus querentes. Ipsi sunt semper mobiles, quia numquam otio torpent, nec socordia tafescunt, sed ordinatis moribus, & assiduis virtutis operibus in idem punctum, scilicet in Deum, à quo progressi sunt, incessabiliter tendunt: nam & vita ipsa annunciant hi cæli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Ipsi sunt virtute influendi præcipui, qui in alios homines innumerabilia bona à Deo impetrata, efficacia orationis effundunt. Vnde Salomon ait: In bonis iustorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. Ipsi sunt à terra valde remoti, quia nec affectibus terrenis subseruiunt, nec temporalibus occupationibus detinentur, sed vna eis sollicitudo est, intellectu, & affectu diuinis inhære, & à sæculi vanitate separari: Deum thesaurum cordium suorum, ac hereditatem desiderabilem æstimantes. Ipsi denique sunt sedes & domicilium Dei, & ille qui dicit: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum; etiam prophetam regium ad hoc scribendum incitauit: Et latentur omnes qui sperant in te, in æternam exultabunt, & habitabis in eis. Habitat in eis tamquam in templo sancto suo, & plantam quam in cælo, in quo sincerissimo amore diligitur, & cultu purissimo colitur, & adoratur.

Sancti ergo, & perfecti viri adhuc in terra degentes, rem publicam illam felicem constituunt, & omnibus modis suspiciendam, quam propriè satis vocamus regnum cælorum, quoniam iam iam habet inchoata

Psal. 33.

1. Petr. 3.

Psal. 118.

1. Co. 11.

Iob. 37.

Greg. 27. mor. c. 24.

Philip. 3.

Euc. 22.

Ambr. in Psal. 118. serm. 12. vers. 1. 1. Cor. 15. Philipp. 3.

Psal. 35.

Psal. 16.

Rom. 15.

Psal. 21.

Prou. 11.

Psal. 61.

Isaia 66.

Psal. 5.



Ioan. 17.  
Sap. 18.  
Psal. 105.  
Isa. 66.  
Isa. 66.  
I. Cor. 15.  
Apor. 5.  
Rom. 8.  
Matt. 6.  
Ad Tim. c. 1.

& in cœpta, quæ illud caloram regnum, quod speramus, & pro quo indefesse, & humiliter supplicamus, habet absoluta atque perfecta. Rogo te qui hæc legis, omnia quæ sunt in illo cœlesti regno attentè cõsidera, & eadem in perfectorum congregatione veluti in femine inclusa, & quasi in cœpta imagine delineata reperies. In illo regno à sanctis & beatis glorioso lumine videtur Deus, & visione (quæ beatitudo nostra est) possidetur. Hæc est enim vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. In hoc quoque perfectorum regno, lumine fidei & sapientiæ videretur; nã & hi Deum contemplatur, & superna luce perfusi tantæ pulchritudinis (prout possibile est in hac vita) delectantur aspectu. Quare & sanctis tuis Domine, adhuc dum nostrã vitam agebant, maxima erat lux, & (impii in tenebris permanentibus, ipsi de perceptione diuini splendoris exultabant. In illo regno amatur Deus; in isto etiam à perfectis diligitur, quia ipse dignus est diligi sine vlla cogitatione præmij, sine vllò accipiendæ mercedis obtentu. Non quia non sint accepturi mercedem, quibus abundantissima gloria parata est, sed quia non propter illã, sed ob Dei immensam pulchritudinem, & bonitatem in ipsum amoris feruntur affectu. Nec solo cordis sui amore contenti, alios quoque ad Deum amandum propter immensam eius bonitatem inuitant. Confitemini Domino, inquit, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Hanc præcipuam amoris causam erga Deum, quam habent cordibus propriis infixam, assignantes quod ipse bonus est, & propterea omni amore: & laude, & obsequio nostro dignissimus. In illo regno beati fruuntur Deo, super quos declinat Deus quasi fluxum pacis, & quali torrentem inundantem gloriam gentium. In hoc similiter regno sanctitatis, ex Deo perfecti voluptatem accipiunt. Qui licet interdum tribulentur, & propter meritorum augmentum laboribus exercentur, tamen non semel in cellam vinariam introducti, vino exultationis inebriantur, & aliquid suauitatis ineffabilis experiuntur. Vnde Domini promissio est: Quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra germinabunt. In illo regno sanctorum corpora nuptiarum ornamenta percipient, & claritate, impassibilitate, subtilitate, & agilitate vestientur. Seminatur enim corpus in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in virtute; seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. In hoc etiam regno perfecti similia ornamenta consequuntur, & eò mirabiliora quò corporibus corruptibilibus, & in valle miseriarum collocatis, donantur. Fulgent namque splendore lucidissimæ castitatis; vigent robore fortissimæ mititatis; subtilia sunt propter donum exactissimæ temperantiæ; & agilia propter ignem efficacissimam discreti feruoris. In regno cœlesti omnes sunt reges; & sacerdotes. Nam fecisti nos, inquit, regnum, & sacerdotes: In regno perfectionis quoque omnes perfecti sunt reges, qui suis affectibus imperant, & vilia, atque abiecta conculcant, & sunt sacerdotes, qui nõ agnos, aut vitulos, sed seipsos Deo mactat & holocausta laudis, & amoris immolant. In illo regno omnes filij Dei, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: in hoc omnes filij, quibus datum est, ut vim illius petitionis experiantur: Pater noster qui es in cœlis, & ut spem magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi gaudenter expectent. In illo omnes Domini, quibus ipse Dominus dominantium (õ pietas ineffabilis!) fideliter

A feruet: Qui præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis: In isto omnes Domini, quorum votis Deus annuit, quorum orationibus obsecundat; Nam & aures eius in preces eorum. In cœlesti regno erit sanitas, à quo fugiet corruptibilitas, in perfectionis etiã regno est sanitas, quam præstat ille, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, In illo regno est læta iuuentus, in quo omnes erunt in mensuram ætatis plenitudinis Christi: In isto regno flos iuuentutis erumpit, õ anima, cum ad illud accesseris renouabitur ut aquila iuuentus tua. In illo satietas; nam scriptum est: satiabor cum apparuerit gloria tua: In isto satietas, in quo homo de fructu oris sui satiabitur bonis, & quicquid petierit, obtinebit. Ibi libertas; cum humana creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: Hic libertas non ficta, sed verã: non noxia, sed proficua, qua liberat Christus nos liberauit. Ibi pulchritudo; cum reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: Et hic etiam pulchritudo; Nam perfecti sunt homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, qua seipos aliis hominibus admirabiles, & angelis gratos efficiunt. Ibi vita sine morte, cum ab illo deliciarum loco præcipitatus sit Dominus mortem in sempiternum: Hic similiter vita sine morte, quia vitam sanctitatis adeptus, si per ipsum non steterit, numquam peccati mortem gustabit, neque à Deo, scilicet à verissima vita, discedet. In illo cœlesti regno erit omnium bonorum abundantia, de qua Psalmus canit: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Et in perfectionis regno perfecti omnium virtutum bonis abundant. Quibus multò melius quàm Israëlitis dicitur: Absque vlla penuria comedetis panem vestrum, & rerum omnium abundantia persuemini. In illo erit securitas; cum fedebit populus Domini in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta: Et in isto, si non totalis securitas, at fiducialis tranquillitas, qua iusti tantis beneficiis animati confidunt; quoniam confirmabit hoc Deus, quod operatus est in eis. Ibi erit scientia sine obsecuritate, gaudium sine dolore, gloria sine ignominia: Hic sunt horum donorum semina atque principia. Iam enim Dominus incipit in hac vita perfectos suos supernaturali cognitione docere, magnis consolationibus interdum afficere, & apud homines, in quibus fructificant, honorare, ut gustum in ferè omnibus illis, cœlestis patriæ percipiant. Hæc igitur perfectorum collectio cœlesti patriæ tam similis, quam tot cœlestia dona implent, tot gloriosa ornamenta replent, tot superna bona circūdant, meritò vocatur regnum cœlorum.

Hoc autem cœlorum regnũ, quòd ad gloriã summi Dei in terris agitur, non obliuiofi, non incuriosi, non otiosi, sed strenui, sed solliciti, sed violenti diripiunt. Violenti verò sunt, qui vim sibiipfis inferentes (nam intra nos ipsos regnũ istud quærẽdũ est) & affectus inordinatos, ac proprias voluntates abnegãtes, ipsam virtutis arcem, ac fastigium sanctitatis expugnant. Si enim similes effectus, similes causas (ut dicitur) habere solent, dum regnũ cœlorum; & regnũ perfectionis similia esse diximus, consequens est, ut simili modo, ac ratione ea esse expugnãda dicamus. De illo autẽ quid scriptũ est. Certè: Regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Pandat nobis Basilius huius dominici dicti pretiosum arcanum. Verba hæc inquit, Euangelij sunt. Violentiã appellauit assiduum; & acrem corporis in laboribus fatigationem; quod nullius impulsu, suapte sponte, Christi discipuli

Luc. 12.  
Psal. 33.  
Psa. 146.  
Ephes. 4.  
Psal. 16.  
Pron. 13.  
Rom. 8.  
Galat. 4.  
Philip. 3.  
Eccel. 44.  
Isa. 25.  
Psa. 121.  
Deut. 8.  
Isa. 32.  
Psal. 67.  
Matt. 11.  
Basil. de abdicat. verum ad finem.

faciunt;

faciant; eum & voluntatem propriam, & corporis laxamentum abnegant omne, & magistri sui præcepta omnia conseruant. Quocirca, si tibi in animo est rapere regnum Dei, violentiam te dato, ceruices tuas Christi seruitutis iugo submitte, & eius loris collum tuum arctè circumquaque cohibito: premat illud ceruicem tuam; labore illud virtutis atterito, ieiunando, vigilando, ipsum te omnibus subiiciendo, taciturnitatem seruando, psalmos assidue decantando, orationibusque, & lachrymis operando, & manibus laborando, cuiusque modi difficultates omnes tolerando, siue illæ à demonibus, siue ab hominibus afferantur. ] Si hoc pacto regnum Dei, quod est in cælis, expugnandum est, eodem modo simile perfectionis regnum, quod via, & gradus est ad regnum cæleste, expugnemus, oportet: ita scilicet, vt quis animosè in illud irruat, & veluti per violentiam de manibus Domini Saluatoris extorqueat. Quod & Hugo Victorinus non sinit, dum cor sanctum atque pacatum vocat regnum cælorum, in quod per vim quamdam irrumpimus, & non sine magno impetu possidemus. Vis est quædam, ait, quæ sic de corde operatur, & retinet cor fluxum, & vanum ne pereffluat in abyssum extremum. Vis ista, seu violentia rapit regnum cælorum: Nam regnum cælorum vim patitur. Nobile regnum possidet, qui cor suum possidet. Non regnat, qui in corde suo deditur seruitutibus vitiorum, præsidet vrbibus, & turbis populorum: solus is regnat, qui deposito cordis imperio ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum, & exteriorum. ]

Hugo lib.  
3. de ani  
ma. c. 12.

Isaie 5.

Audi ergo nunc quam violententer cohors illa virorum perfectorum, & terribilis castrorum acies ordinata, eorum qui possunt ad bella procedere, regnum perfectionis expugnet, & munitissimam illam urbem diripiat. Hæc acies patriam suam, id est, terrenam conuersationem deserit, quia à Deo ad hoc bellum gerendum vocata est, & nullum militem, aut timidum, aut negligentem, aut recedem admittit. Non est deficiens prorsus, nec laborans in ea nullus dormitabit, neque dormiet, neque soluetur cingulum renū eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius, sagittæ cohortis huius acutæ, & omnes arcus eius extenti, vngulæ equorum eius vt flexæ, & rotæ eius quasi imperus tempestatis. ] Milites quidem illius viam veritatis eligunt, per quam in nobilissimum regnum proficiscantur, & semitam diuinorum mandatorum currentes, & per arctam viam, quæ ducit ad vitam, de virtute in virtutem festinantes, tandem tandem ad portas & muros desideratæ ciuitatis perueniunt. Tunc collecta per charitatem omnium istorum fortissimorum militum multitudine, & secundum militiæ disciplinam acie diligenter ordinata, desiderium cingunt urbem, & inchoant obsidionem, iuramento conficti se numquam ab obsidione discessuros, donec urbem perfectionis capiāt, & fauentibus superis, eius immensas diuitias, opesque possideant. Et vt iam non sine ordine ciuitatem inuadant, assistunt hinc sagittarij, illinc fundibularij, & illi quidem iaciunt suspiriorum sagittas, ab imo cordis euulsas, & ipsas satis acutas cum carbonibus desolatorijs: hi vero in funda, & lapide dant crebros ictus, in gemitibus inenarrabilibus, vniuersis suspirantibus, & rugientibus à gemitu cordis sui. Nec dubium in tam acri certamine & in tam spisso telorum imbore, quin aduersariorum phalanges ingressum impediētes multa suscipiant tiffitiæ, & inuidiæ vulnera, dum vident imbecillos homines tantum audere, vt arcem expugnare velint, quam ipsi in iuitio suæ conditionis nullo labore retinentes, misere perdidērunt, & superbia elati, pro calamitosa seruitute commutarunt. At illi, qui urbem adoriuntur, aduersarios irri-

A dentes, desiderijs & gemitibus alia genera armorum adijciunt; nam bonorum operum ense, & gladio dimicant, & tam constanter atque assidue his armis feriunt vt non solum hostes à murorum tutela percussos arceant, verum etiam penè exanimēs, victorque prosternant. At maiori labore opus est, nec etiam ciuitas munitissima, & supra verticem montis posita, & tam strenuis, & exercitatus defensoribus cincta, qui licet eam non habitent, tamen exterius circumdant, & ab ipso montis principio ascensum impediunt, potest nisi incredibili violentia, & planè diuinitus immissa superari. Eriguntur ergo sanctarum meditationum, & contemplationum machinæ, de quibus nostri milites ignitarum orationum tela contorquent, & igneos amoris, & ardentissimæ charitatis globos cum magno impetu iaciunt, vt ciues, scilicet Angelos sanctos, & eos homines, qui iam ad fastigium sanctitatis peruenerunt, compassione feriant, & miseratione confodiant, adeo vt clamare cogantur; quoniam vulnerati charitate nos sumus, & quod ad nos spectat, iam amore victi vos in confortium vrbis suscipimus, & vt amicos, & sodales admittimus. Sed interim per nostros milites admoventur ad murum perseuerantæ acies, cuius continuus ictibus murorum firmitas tandem dissoluitur, & crebrescentibus circumquaque diuinæ misericordiæ rimis, vrbis interiora patefcunt. Mœnia itaque vrbis, id est, altitudo inaccessibleis puritatis vario machinarum impulsu deiicitur, & iustis ad debitam animæ munditiam admittis, non sine magno clamore penetratur, & murus ille vitæ sublimis, spissus & altus militum irruentium constantissimo feruore dirumpitur. Rupto verò muro & penè solo æquato, quid restat, nisi vt vndique victores irumpant, & arcem charitatis occupent, & ipsum intimum amoris palatium alaces, & læti peruadant. Iam signa Christi fulgent in mœnibus, & crucis vexillum elarum, ac mortificationis perfectissimæ ostensio aspicientibus inimicis (qui extra urbem ingressi se opponēbant) metum & admirationem incutit, cuius verò ingentem lætitiā, & exultationem importat. Hoc enim est in isto violentissimo bello, & in ista acerrima impulsione mirabile, quod acies ista virorum fortium vincit, & ciuitatē capit: ciues verò, id est, alij sancti, qui eam habitabant, non manent victi, sed securi; non compediti, sed liberi; non tristes, sed de sociorum victoria gaudentes; non spoliati, sed diuites; non mœrent, quia alij urbem occuparunt, quæ ipsi non perdidērunt, sed quasi denuò in suis fratribus, ac in eiusdem capitibus membris comparant. Illi igitur, qui recens in arcem ingressi sunt, non minus de arcis obtentione læti, quàm de acquirendarum opum totius ciuitatis solliciti, iterum exeunt, & per vicos & plateas diuiduntur, inquirentes omnia, lustrantes abdita, perscrutantes vniuersa, & nihil intactum prætereuntes, nihil indiscussum relinquentes vt ista sollicitudine tam læto successu felicitas infinitas virtutum opes, quæ ab ipsa charitate tamquam à fonte promanant, sibiipsis vendicent, & in proprium vsum accipiant. Rapit itaq; quisque quod potest, & licet omnes ditissimi maneant, & nullo genere diuitiarum frustrentur, tamen vnusquisque in aliquo bonorum genere plus quàm alij videtur accipere. Hic altissima humilitate eminet; iste purissima castitate fulget; vnus lenissima mansuetudine superat; alter felicissimo dono orationis excellit, & alius promptissimam obedientiam ostentat; & sic alix gazæ spiritualium charismatum ab alijs & alijs varia sorte diuinæ distributionis diripiuntur, vt constet quod Dei veritas arteflatur, quia hoc Dei regnum, quod perfecti obtinent, vim patitur &

violenti rapiunt, illud. Occupato autem hoc regno & direpto tam ingenti virtutum thesauro omnes hi strenui milites onerati præda, onusti spoliis cum alacritate redeunt, & per aliam viam reuertuntur in regionem suam. Nam qui per semitam veritatis, & feruoris ascenderant, per viam misericordiae, & benignitatis descendunt, & vniuersa via eorum, sicut & ducis, ac imperatoris sui, sint misericordia & veritas. Descendunt, inquam, non ut illa virtutis, & sanctitatis acquisitæ sublimitate decidant, sed ut nobis paruulis, & imperfectis viles magistri, & re vera patres existant. Vt enim inquit Richardus de sancto Victore: Nobis infirmis condescendunt. Amor Dei rapit eos sursum, amor proximi retrahit eos deorsum. Propter Deum itaque est, quod ascendunt, vsque ad caelos; & descendunt vsque ad abyssum, propter proximum ad visitandum eos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent educere in manu potenti, & brachio excelso victos in mendicitate & ferro. Venientes itaque veniunt cum exultatione, portantes prædam in humeris suis, gaudentque vehementer, sicut qui letantur in messe; sicut exultant victores capta præda; & sicut qui inuenit spolia multa; & auditur vndiq; vox exultationis, & confessionis in tabernaculis iustorum. Ex hac (ni fallor) victoriæ præda sunt illa spolia, quæ Benjamin lupus rapax manè quidè rapit, sed vesperè diuidit: sic & isti violenti prædones, regni caelestis direptores, ad hoc nimirum descendunt, ut secundum exemplum Benjamin eis, qui non possunt ad bella procedere, bellorum suorum spolia diuidant; & secundum quod Danid noster cõstituit, & qua sic portio procedentium ad bella, & remanentium ad sarcinas,] eorum dumtaxat, qui fraterna sollicitudine, non propria cupiditate occupantur circa sæcularium rerum curas. Est igitur perfectio regnum caelorum, quod nos sicut & sancti, qui illud hæcenus adepti sunt, aggredi, & expugnare debemus. Relinquamus itaque terram miseræ, & paupertatis nostræ, in qua egeni, & omnium virtutum vacui viuimus, & ad bellum istud humano quidem corde dignissimum, nos ipsos accingamus. Diligenter curramus, non hypocrisis, sed veritatis, & feruoris vias, & ascendamus cliuium vitæ spiritualis, manibus & pedibus reptantes, quousque ciuitas Dei, & perfectionis regnum nobis appareat. Cingamus illud obsidione constantiæ, desiderii, suspirii, gemitibus, bonis operibus, & assiduis orationis machinis, inuadamus, donec regnum istud munitissimum oculis cordis pateat, & nostra importunitate victum vltro portas æternitatis nobis aperiat. Tunc verè felices & beati eximus, qui labore primum à diuina gratia, & deinde à nostra exiguitate manante, non diuitias perituras, non dignitatem fallacem, non regnum terrenum periculis hostium expositum, sed opes perpetuas, amplitudinem filiorum Dei, & regnum caelorum obtinebimus, quod vim patitur, & violenti rapiunt illud.

*Quod perfectio est familiarissima amicitia hominis, & Dei.*

CAPVT VII.



**L**X nominibus, quæ perfectioni tribuuntur, eius dignitas in superioribus demonstrata est, quæ cum magna sint, & insignia, non possunt nisi rei magnæ & eximie competere, & quæ digna sit tam clarissimis titulis honorari: Nunc ex his, quæ perfectioni insunt, tamque circumdant, aut ex ea tamquam ex causa procedunt, eiusdem dignitas, & magnitudo pandatur.

**A** Hæc autem tot sunt, & tam eximia, & (ut dignè cognoscantur, aut declarentur) tam ex ipso animæ experimento pendentia, ut non possit rudis homo, & tam sublimium rerum ignarus ea, aut mente concipere, aut aptis verbis explicare: nisi tu Domine qui omnium es cognitor, & pusillorum dignaris esse præceptor, mihi oculos internos apertas, ut quæ occulta, & abstrusa sunt, videam; & calamus verbes, ut à me dilucido sermone perteribam, & aliis legenda, & meditanda proponam. Istorum verò illud primum tractandum est, quod fons videtur esse, & origo reliquorum, perfectiorem intamam esse amicitiam, ac necessitudinem hominis perfecti cum Deo, quem ille omnibus familiaritatibus creatis abiecit, tibi in fidelissimam præfissimam elegit, & in dulcissimum amicum assumpsit. Et quidem, quod perfectio sit Dei, & hominis amicitia supra dictum, & expositum est, at quàm familiaris, & arcta sic hæc amicitia nondum est à nobis declaratum; Hoc igitur nunc aperiendum est, ut qui nondum perfectus est, cupiat, & qui iam perfectus est, in Domino exaltet, & gaudeat. Omnis charitas etiam minima est Dei & hominis amicitia, alicui supernaturali communioni subnixæ (ut Thomas ait) qua homo vult sua bona Deo propter ipsum, & ei in omnibus ab illo mandatis placere contendit, & qua Deus ita amat hominem, ut velit ei bona diuina, & non tantum velit, sed faciat quoque, & manu liberalissima impertiat. At perfectæ charitas, quæ (ut sapius inculcauimus) est ipsa mentis perfectio, non est quouis modo Dei, & hominis amicitia, sed est necessitudo tam arcta, tam familiaris, tam intima, ut vix id aut humana fragilitas credat, aut intellectus creatus, & rebus infimis alluerus intelligat. Quis enim nisi aut expertus, aut dictis sapientissimorum, & sanctissimorum virorum expertorum assentiens, credat Deum, ante cuius conspectum cali columnae contremiscunt, ita ad animâ puram demitti, ut velut sponsus vino amoris inebriatus, eam depereat, illius aspectum cupiat, alloquium sitiat, amplexum ambiat, & eius purissimis deliciis quærendis intendat: & animam sanctitate vestitam, ita per sanctam fiduciam, & amorem extolli, ut Deum tamquam sponsum respiciens, eius assiduum conuersationem exerat, oscula postulet, amplexus exquirat, & eum in omnibus, quæ ipsa vult (cum præter diuinam legem nihil vult) ad suum desiderium explendum, & opere præstandum trahat. Sed hoc ita esse, vtriusque fœderis pagina, & sanctorum dicta (quibus fidem eleuare nefas est) & perfectarum animarum, quarum aliquæ semper sunt in Ecclesia, experimenta declarat.

**D** Nunc verò amorem sponsi, & sponsæ mitamus, quem statim admirabimur, & intra amicitie metas nos continentes perferretur. quàm perfectè magnæ cuiusdam amicitie leges, hi duo amici Deus, & perfectus homo custodiant. Licet enim ille, qui benedictione dabit legislator, nullis subditus legibus, nullis iuribus compeditus; tamen non vult legibus veræ amicitie eximi, ut homines glorientur, quia Deum ipsum non solum Patrem & Dominum, sed etiam amicum habent necessitudinis iura seruantem. Et ideo fortassis dicit Iob, nullum ei similem esse in legislatoribus] quia alij legum latores sunt quidem ad ferendas leges proni, sed ad eas seruandas inerti, quas imponunt in humeros hominum, sed digito suo nolunt eas mouere. At Dominus ita auertit leges, iuræque decernit, ut eipse nullò melius atque constantius, quàm homines, quibus sunt imposita, seruet. Quare non sine mysterio dicitur: Principatus eius super humerum eris, inquam leges, quas humeris subditorum imponit, ipse etiam super humerum suum homines

Richard.  
in Psalm.  
28.

1. Re. 30.

D. Thom.  
2. 2. q. 23.  
art. 1.

Psalm. 82.

Iob. 36.

Matth. 23.

Isa. 9.

ad ipsa

ad ipsam custodiam adiuuando supportat. Quae autem sunt amicitiae leges? Certè si breuiter eas referamus, hæc ferè sunt. Prima, vt amici se impensè ament, & mutua, ac indissolubili beneuolentia complectantur. Secunda, vt assiduè verba faciant, & non sine voluptate secum ipsi conuersentur. Tertia, vt mutuis officiis, ac donis, quoad possint, amorem augeant, quæ sicut ignem status, ita mutuam beneuolentiam, nullum etiam lucrum queritatem accendunt. Quarta, vt seipsi sustineant, & si quid ab aliquo peccatum fuerit, alter aut benignè corrigat, aut etiam dum opus est, patienter dissimulet. Quinta, vt amici idem omninò sapiant, idem dicant, idem velint, idem nolint, & in omnibus sine vlla dissensione, concordent. Sexta, vt occulta adinuicem detegant, secreta reuelent, & vnus alteri cordis sui arcana confidat. Septima, vt in tribulatione se adiuuent, & si vnus sentit dolorem, alter remedium quærat, & compassionis affectum non omittat. Octaua, vt vnus alteri se accommodet, & infirmus utilitatem ex robore fortioris sentiat & fortis, imbecillitates infirmi sustineat. Postrema tandem, vt amicorum nihil quod deceat, vnus sibi ipsi referendè, sed sint illorum omnia communia. Hæc leges ita indurptæ apud Deum, & animam perfectam manent, vt non dubium sit, Deum huic animæ fidelissimam amicitiam seruare, & animam ad Deum arctissimam necessitudinem habere. Quam nec anima tantæ dignitatis particeps abscondit, nec Deus amore captus erubescit. Quinimò illa palam confitetur. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Ierusalem.] Et ille sine vilo rubore pronunciat: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.] Qua voce non solum animam vocat amicam, verum etiam tam pulchram, tam omnibus meliorem, dignam suo amore & beneuolentia proclamatur.

Sed cursum harum amicitia legum virtutem prælibemus, & quàm constanter eas Deus & anima perfectè custodiant, percurramus. An amici se impensè amant? Sed anima perfectè ita Deum amat, vt propter illum omnia creata despiciat, seipsam odio habeat, & vniuersis rerum creaturarum amoribus valedicat. Recedite polluti clamant eis, recedite, abire, nolite tangere.] Et meritò omnes amores, qui in Deum non tendunt, pollutos vocat, quia si admittantur animam polluunt, & amoris erga Deum seruiorem minuant, & charitatis puritatem auertunt. Deus verò ita animam diligit, & eius amori respondet, vt in infinitum eam, sicut & ceteris amore superans, non amore finito amicam istam, sed infinito diligit, & qui totus charitas est, veluti igne amoris ardeat, & fidelis anima in se transformandæ desiderio liquefcat. Istud significant illæ voces: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vniogenitum daret.] In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vniogenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.] Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.] Si enim Deus tam ardentè dilexit mundum, & populum illum. Hebræorum tam infatigabiliter amauit, quoniam pacto perfectos & sanctos diligit, qui sunt selectior mundi pars, & populus omnium dilectissimus, cuius causa præcipuè in mundum venit, in quo mirabilius bonitatem, ac misericordiam suam exerit, & propter quem principalis vniuersum orbem fabricauit. Nec tamen quia isti amici se inæqualiter amant, idèd amicitia claudicat, aut non est ex vtraque parte fidelis, quoniam ad eius integritatem, & fidelitatem conferuandam satis est, si anima quæ finitè amat,

A quidquid potest amet, quantum valet, alios adulerinos & extraneos amores abiciat, & si possibile sibi esset, infinitè amare desideret. Hoc, inquam, sufficit, vt amicitia hæc inter Deum, & animam sit vsquequaque perfecta. Vnde pulchrè Bernardus ait: Non planè pari vbertate fluunt amans, & amor, anima, & Verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quam sitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nuptura vorum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumens fiducia; quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere; lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate enim eo, qui charitas est: Non nam, et si minus diligit creatura, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligit, nihil deest, vbi totum est.] Quantum est igitur mutuis istorum duorum amicorum amor, qui terminum nisi possibilitatis nescit, & in Deo infinitus est, in anima verò, licet non infinitus, quia non potest, tamen quantum potest, amat, & vt sic amet, nullus extranei amoris consortium admittit.

At amici mutuis se oblectant alloquiis, & verbis vltro, citroque habitis se abundè reficiunt. Et quid aliud faciunt Deus, & perfecta anima nisi perpetuò conuersati, & totos dies, noctesque (quantum carnis fragilitas sustinet) in suauissimis colloquiis consumere. Nullum perfectum vidi, nec legi, qui non saltem in desiderio suo hanc primam, & præcipuam occupationem haberet; cum Deo miscere dulcissima amoris colloquia, & ei intellectu, & affectu, iugiter inhærere. Loquitur Deus non semel, sed sæpè eum perfecta anima, quam non distractam, non ineptè occupatam, non post vana, & inutilia currentem, sed attentam, sed expectantem, sed amici vocem impensè cupientem inuenit. Scit enim quia vox eius dulcis, sicut & facies decora.] Dicit ei verba correptionis, dum eam benignè corrigit, & sermonem doctrinæ, dum de rebus agendis & cauendis docet, nec non & colloquia amoris miscet, dum fiducia erigit, promissis mulcet, desiderijs exollit, & immixta suauitate à visibilibus potenter abducit. Hæc dulcissima Dei verba sentiens anima clamat cum Cypriano: Suauis est mihi eloquium tuum, viuus, & efficax sermo tuus, accipiti gladio penetrabilior, vsque ad diuisionem spiritus, & animæ meæ attingens, carnales, & spirituales intra me separat, & sequetras affectus, & à vilibus pretiosa distinguens, quasi flagello de funiculis contexto de meo interiori templo, quod tu inhabitas, omnem mundinationem expellis, nec patitur in atrijs tuis mercimonia columbarum, sed à sanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludis. Audio te cum ita feres, audio cum misereris, siue parcis siue flagellas iustum, & bonum te prædico: In ira supplicio; in clementia gratias ago, nec sanctis sermonibus contradico.] Sic illa in suum vsque verba huius, facti doctoris assumit, eisdem verbis patenter attestans se Dei amici vocem audire ac dulcissima super mel & fauam conuersatione gaudere. An non legimus Quia loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum? Sed cum huius alloquiij causa esset intima Dei amicitia cum illo, credendum est Dominum eadem ratione facie ad faciem, id est, valde familiariter cum sanctis, & amicissimis suis loqui, & deposita grauitatis, & auctoritatis terrentis vultu, cum eis amicè & beneuolè conuersari. Loquitur igitur Deus sæpè eum perfecta anima, & ipsa vocem amicam percipiens, & se compellari, & ad colloquia inuitari sentiens, non obmutescit, nec vt rustica, & agrestis tacet, sed magis vt virgo in aula regia educata, & moribus nobilium iun-

Cant. 5.

Cant. 2.

Thren. 4.

1. Ioan. 4.

Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Deut. 32.

Bern. ser. 83. in v. d.

Cant. 2.

Cyprian. ser. de baptis. Chri.

Exod. 33.



Cant. 1.

Cant. 5.

Cant. 8.

Cant. 1.

buta, respondet. Iam dilecti sui verba anima libenter audientis pulchritudinem laudant. Ecce tu, inquit illi, dilecte mi pulcher es & decorus. ] Iam ad hortum, & ad cibum amanter inuitat. Veniat dilectus meus, dicens, in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. ] Iam res amici se curare, & cordi habere significat: Nam mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius. ] Iam dona postulat, sub typo osculi designata, dum ait: Osculetur me osculo oris sui. Talia sunt animæ colloquia cum Deo, non otiosa, non inepta, non scurrilia, sed necessaria, sed proficua, sed seria, quæ & ipsimet animæ utilia, & amico tam pleno sapientiæ, & puritatis grata esse possint. Quid enim est amicum pulchrum, & decorum vocare, nisi sanctum & puritatis fontem agnoscere? Quid est ad hortum, & ad fructus pomorum inuitare, nisi intimum animæ virtutum odorem spirare, & fructibus operum sanctorum replere? Quid est mille pacificos & ducentos custodibus assignare, nisi maiorem gratiarum actionem Deo tamquā omnium bonorum fonti, & maiorem prælati tamquā ministris attribueret? Et quid est dona petere, nisi amicum non parcum, non auarum, sed profusum, & liberalem confiteri? O dulcis Dei & animæ conuersatio! ô desiderabilis consuetudo! ô suauis colloquium, ex quo amicus Deus non modicam voluptatem percipit, & amica anima non solum eximiam voluptatem, sed maximam quoque utilitatem reportat. Quis hanc colloquutionem non auct? Quis vocem Dei non iam terrificam, sed dulcem, & blandam audire non cupit? Quis hunc honorem verisimum cum Deo loquendi, & conuersandi aucupari non curat? Profecto valde insipiens, & negligens est, qui se puritatis mentis suæ minimè ad hæc cælestia colloquia habenda disponit.

Non tamen putandum est hanc Dei, & animæ perfectæ necessitudinem, solis verbis constare, solo sermone compleri, quin potius manifestum est illam mutuis officiis ac donis aperire. Sed Deus, quid donat animæ? Multò melius interrogares, quid non donat illi? Omnia namque, quæ ipsa habet, dona Dei sunt. An cæli non sunt dona Dei animæ prærogata, vt superna sitat, & cælestia suspiret? An terra, & reliqua elementa, & mista non sunt dona Dei, vt his tamquam adiumentis in corpore, tamquam in propria domo subsistat, & eisdem velut scalaribus in Dei cognitionem, & amorem ascendat? An membra, & sensus, & vires internæ non sunt dona Dei, quibus anima salutem semper mansuram inquirat? An tempora, an anni, & menses, & dies, & hora & momenta non sunt dona Dei, vt semper laborando ad maiorem puritatem perueniat? An homines boni, & mali, non sunt dona Dei, vt ex illis virtutem discat, & ex istis per patientiam merita cumulata decerpant? An afflatus, lumina, desideria, tentationum victoria, mundi despectio, affectuum moderatio, virtutum exercitatio, cælestis consolatio, in bono perseverantia, & reliqua huiusmodi, non sunt dona Dei, quæ animam sensum perficiunt, & suo tempore illi inmarcescibilem coronam imponunt? An ægritudines, tribulationes, flagella, non sunt dona Dei, quorum ministerio fidelis amicus, & pius Pater quem diligit, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. ] Profus hæc omnia dona sunt Dei, bona quidem quibus animam vltra modum ditaret, & ad gratiarum actionem, & amorem alliceret; mala verò, quibus eandem instrueret, & vt oportet, erudiret, vt non dicat, quia fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt, sed recorderetur Domini Dei sui, quod ipse vires sibi & omnia præbuerit. ] Et

Hebr. 12.

Deuter. 8.

A sicut solet pater filio vnico, & prædilecto, nunc omnia ad victum, & vestitum pertinentia abundè suppeditare, nunc aliquid necessarium subtrahere, vt filius malum paupertatis agnoscat, & necessaria custodire sciat, & de bonis, quasi de sibi debitis non superbiat: ita anima à Deo frequentissimè innumerabiles misericordias percipit, ex illo amantissimo, ac tenerrimo corde manantes, interdum verò flagellis, & malis affligitur, quæ non minora dona sunt, vt unde veniant bona, nequaquam ignoret, & merita patientiæ reporter. At anima quid donat Deo? Certè si de mundanis animabus loqueremur, difficile esset ali-quod earum donum, Deo attributum assignare, quippe quæ se totas, & quicquid ad eas spectat, Diabolo donant, cum quo amicitiam inierunt, & cui, Deo contempto se totas dedicarunt. Et similiter si de animabus iustis, sed imperfectis haberemus sermonem, aliquid inueniremus, quod ipsæ donent Deo tamquam amico, sed illud exiguam admodum, & minis pretiosum, cum ista multum sui ipsarum sibi retineant. Sed cum hoc loco de anima perfecta instituat tractatio; quid ipsa non donat Deo. Quæ propter Deum omnia creatura spernatur, & contemnendo ea omnia, donum Dei facit, pro cuius amore, & obsequio relinquit? Parum est hoc, quicquid sapit, quicquid valet, quicquid cogitatione, & desiderio comprehendit, & se totam Deo offert in donum, dum nihil sui sibi retinet, sed vires, sed talenta, sed potentiarum, & membrorum opera, sed voluntatem, sed iudicium in diuinum obsequium impendit. Quæ quicquid habet, & potest, donat, & quicquid non habet, nec potest, dare desiderat, si non ex æquo saltem, quantum sibi conceditur largissimo Dei amoris respondet, & non verbis solum (quæ sæpè fallunt) sed operibus, & officiis cum Deo initam amicitiam confirmat. Hæc profecto vim illorum verborum intelligit: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Nam cum in se nihil Cæsaris videat, nihil pertinens ad mundum inueniat, nihil putat se illi debere, à quo profusus nihil accepit. Et cum omnia, quæ intra, & extra se habet, Dei esse conspiciat, & non sola fide, sed quodam certissimo experimento ad Deum pertinere comperiat, ipsi omnia libentissimè reddit, à quo se accepisse gaudet, & in cuius solum obsequium bene impensa esse nõ dubitat. Hæc etiam illud sibi, tanquam charissimæ filia dictum existimat. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum: Afferte Domino gloriam & honorem. ] Audit anima perfecta, & parat. Donat se ipsam Deo filiam arietum, & Apostolorum natam, quorum mores sequitur, quorum vitam imitatur. Affert Deo gloriam, & honorem, gloriam quidem per bona opera (vt inquit Basilius) quæ cum irradiant hominum oculis, glorificat Patrem nostrum, qui in cælis est. Honorem verò, quoniam illud Salomonis adimplet: Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: ] Quod tunc facit (vt inquit Beda) cum quicquid boni habet, nõ tantum in Deum refert, verum etiam diuinæ gratiæ, ac cælesti muneri attribuit.

E

Ecce quam bene hi duo amici mutuis officiis, ac donis suam amicitiam stabiliant, quæ sanè omninò stabilita non esset, nisi etiam se ipsi sustinerent, & ad inuicem tolerarent. Habet quidem anima sancta, quantumuis sancta, & perfecta sit, multa in hac vita, in quo Deus illam sustineat. Si enim in Angelis suis reperit prauitatem, quantò magis quæ habitat domum luteam, & quæ terrenum habet fundamentum, ] quæ scilicet in corpore commoratur facta de limo terræ, & fragilitati carnis innititur, consume-

tur, &amp;

Matt. 22.

Psal. 28.

Prou. 3.

Beda ibi.

Iob. 4.

tur, & extenuabitur ab imperfectionum tinea. Fecisti imaginem Christi ex cedro, odorem habet cedri, fecisti ex plumbo, grauitatem habet plumbi; fecisti ex auro, colorem habet auri: Ita perfecti, qui homines sunt, & supra naturam fragilem, & infirmam, Christi imaginem induerunt, non possunt in hac vita mortali, sic humanam fragilitatem exuere, vt sæpe hominum imperfectiones non contrahant, & affectus humanos non redoleant. Insunt igitur perfecta anima aliqua, quæ Deo minus grata, & iocunda appareant, quæ tamquam imperfecta, & ab itinere iusto non nihil deuiantia displiceant. Sed hæc Deus quàm patienter suffert, quàm amanter dissimulat, & cum tempus est, quàm benignè corrigit, & leniter reprehendit. Misereris omnium Domine, inquit sapientia, quoniam omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam? Si Deus magna peccata iniquorum dissimulat, vt eis tempus penitendi concedat, quidni dissimulabit paruulos perfectæ animæ, quos ipsa non malitiosè, non negligenter contraxit, sed præ ingenuitate commisit. Excessit illa, vel dum aliquid minus consideratè loquuta est, vel dum aliquid ineptum vel otiosum cogitauit, vel dum iram tantillum immoderatam concepit, vel dum orans, aut psallens mentem à Deo, ad quid terrenum, & caducum deflexit. Ista quidem in illam diuinam, & superineffabilem maiestatem admittit, & ab ea anima, quæ tam ingentia beneficia receperat digna erant, quæ seuerè corrigerentur, & statim cum indignatione punirentur. At Dominus verus amicus, ista, & alia similia, quæ ruditatem mentis humanæ prætereunt, & vix præ multitudinem numerari possunt, quanta clementia sustinet; quanta pietate dissimulat? quàm amanter pusillorum imperfectiones portat. Et ipse qui optimè nouit figmentum nostrum, animam propter hos defectus cum tremore accedentem, & vix oculos ad cælum leuare audentem, dulcissimè suscipit, amplectitur, deosculatur, & implens illud: Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis, quasi recitium culpæ oblitus, eam incredibili benignitate demulcet. Sustinet ergo ille imbecillitates, & defectus animæ. Sed tu Domine, habesne aliquid, in quo anima te sustineat? Quis hoc non dico scribere, aut verbis profere, sed saltem cogitare audeat, nisi in sacris literis tuo spiritu dictatis reperisset? Viriliter age, confortetur cor tuum & sustine Domini. ] Et rursus: Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noster est. ] Et Iob expertus ait: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus. ] Et iterum: Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui. ] Habes itaque Domine, quod tibi sufferamus, non quia aut morosus sis nobis, aut molestus, aut quia tu, qui summè bonus es, defectibus & culpis subiaceas, sed quoniam tribulationibus nos exerces, quia ita expedit nobis, & vitam nostram, ne aut in otiositatem, aut in desperationem prolabor, prosperitatis, & aduersitatis varietate dispensas. Quis ergo edisserat, quantis tribulationibus, & tentationibus, & anxietatibus, & corporis doloribus, & mentis timoribus soleas animam puram, & tibi nimis charam affligere? Quæ tamèn ipsa non iracundè suscipit, non impatienter admittit, non mæstè tolerat, sed leniter, patienter, hilariterque sustentat. Et quem admodum columba à compari suo aliunde veniente, & ipsam zelante, rostro, & unguibus lacerata: silet, & suffert, & hæc ipsa mititate, & sustinentia, se nunquam in eum deliquisse, nec maritalem thorum violasse aperitura anima hæc Domini correptionem pa-

**A** rienter sustinens, doloremque complectens, palam indicat, se fidelem esse, & amare didicisse, quæ non tantum cum dona recipit, sed cum flagellis huet, amore viget, charitate crescit, & ab intima fiducia & familiaritate non discedit.

Non erit autem mirum, si Deus & anima, qui se inuicem sustinent, idem sapiant, idem velint: Nam in rebus alteri amicorum aduersis, solent amici discordare, & antiquam etiam familiaritatem abrumperere. Idem profectò sentiunt Deus & anima, quia hæc in omnibus, diuinis sententiis adhæret, & quicquid per Scripturas suas, aut per doctrinam Ecclesiæ, aut per ministros ad id auctoritatem habentes, Deus credendum, aut faciendum proponit, id totum anima iusta sine vlla contradictione credit, & prout potest, facit, & ab aliis credendum, & faciendam esse diiudicat. Idem etiam volunt, quia perfecta anima in hoc maxime incumbit, vt proprias voluntates abneget, & in omnibus diuinam voluntatem expleat, dicens ex toto corde: Non mea Domine, sed tua voluntas fiat. ] Et Deus ratione mirabili huius animæ desideris annuit, votis fauet, & ei postulata concedit; illud implens, quod per Isaiam ipse promissit. Tūc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicit, ecce adsum. ] At quanta fidelitate hi duo amici Deus, & anima sibi mutuo secreta reuelant; quorum ista omnes recessus cordis sui Deo peruios, & manifestos esse congaudet, & bona vt ea Dominus ipse promoveat, mala verò, vt ea curet & sanet, cum magna fiducia tamquam suorum rerum benignissimo protulsi, pandit; Vnde fidenter ait. Probame Deus, & scito cor meum; interroga me, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna. ] Non optat cum iniquis, vt non videat, Dominus, nec intelligat Deus Iacob, sed magis vult, vt videat, vt intelligat, vt vniuersa scrutetur, & si quod semen iniquitatis inuenerit, illud extirpet, & omnes suas cogitationes & opera in viâ veritatis, id est, in Christum, adducat. Dicit cum Augustino: Si aliquid inueneris Domine in vita mea, quod dupliceat oculis tuis, quoniam via mea mortalis est, tu deduc me in via æterna, scilicet in filio tuo, vbi nulla est iniquitas; quia si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. ] Deus quoque in amoris signum ab anima, cum opus est, secreta sua minimè abscondit. Audi quid aliquando dixit: Num celare potero Abraham quod gesturus sum; cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam, & benedicenda sint in illo omnes nationes terræ. ] Et quare Domino Deus hoc mysterium Abraham celare non poterat, nisi quia æquum iudicasti ei, tamquam amico arcanum suæ posteritatis, in signum amicitie pandere, & vt magis ac magis te hominis amatorem ostenderes, ei secreta tui cordis aperire. Amos quoque ait: Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. ] Et Dominus: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. ] Detegit ergo Dominus secreta sua hominibus perfectis amicis suis, & multis modis occultis eis suæ voluntatis manifestat, vel vt ipsi ab itinere veritatis non deuiant, vel vt cognitione veritatis admirètur, & in omni virtutis genere promoueantur, vel vt alios in rebus credendis, aut agendis erudiât. Quid plura? Deus qui omnium adiutor est in tribulatione, perfectos viros in tribulatione positos speciali prouidentia adiuuat: nam clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. ] Eorum etiam infirmitati se accommodat, etsi aliquid noxium nimis timent, benignè arceat, etsi

aliquid

Sapientia. 11.

Psal. 102.

Isa. 66.

Psal. 26.

Psal. 32.

Iob. 2.

Iob. 32.

B

C

D

E

Luc. 22.

Isa. 58.

Psal. 138.

Psal. 93.

Amos. 3.

I. Ioan. 2.

Gen. 18.

Amos 3.

Ioan. 15.

Psal. 33.

*Ezech. 4.* aliquid humanum cupiūt, quod ipsorum perfectioni non officiat, benignè concedit. Non possumus omnia latè tractare. Ezechiel timer panem pollutum manducare, & audit, vt mitiori pœnâ subdatur; Ecce dedi tibi finum bonum pro stercorebus humanis, & facies panem tuum in eo. ] Jacob Angeli benedictionem concupiuit, & benedixit ei Dominus in eodem loco. Franciscus acerbitatē ignis metuens, quo vrendus erat, ne visum amitteret, visionem non sentiit. Thomas Aquinas morbo extremo laborans, & pisces infertos, & in illa regione ignotos appetens, eos diuinitus oblatos recepit; & sic innumera alia possunt in Sanctorum gestis notari, quibus diuina illa maiestas istorum amicorum suorum imbecillitati condescendens, se amicum blandum, & tenerè amantem exhibet. Ac tandem Dominus nihil sibi, nisi gloriam debitam diuinæ maiestati reseruat, quam, vt est in *Isa. 42.* Isaiâ, nemini dare constituit; reliqua verò bona tam naturæ, quàm gratiæ, & gloriæ, imo & ipsum filium suum (cum quo, vt inquit Paulus omnia nobis donauit) his suis amicis, non vtcumque, sed cumulatè, & eximie, communicat, vt sic in cælo & in terra confiter, se cum sanctis viris familiarissimam amicitiam inuuisse, & nunquam ipsam aliquo dolo, aut obliuione violasse.

*Rom. 8.* Si hæc ita se habent, sicut re vera se habent, nos qui à sæculo discessimus, & amicis terræ valediximus, vt regis cælestis amicitiam & familiaritatem assequeremur, si perfectionis amatores non sumus, quid amamus, quid quærimus? Hæc est intima amicitia inter Deum, & hominem intercedens, qua homo Dei amicus non quouis modo, sed familiarissimus, & intima necessitudine coniunctus efficitur. Hac homo suum amorem, non in rebus caducis, sed in solo Deo collocat, & res suas etiam minimas cum Deo tractat, & cum eo curas suas tamquam cū amicissimo sodali partitur. Hac quicquid habet (pacum est hoc,) quicquid est, Deo donat, & nihil sibi velut proprium asseruat. Hac flagella à Domino illata lætè suffert, & si ipsum occiderit, ab spe in illo collocata non decedit. ] Hac idem, quod Dominus, sapit, & vult, & diuinæ voluntatis imaginem induit, & nihil ab eius conspectu abscedere gestit. Si quid aduersum domui huius sanctissimi amici, scilicet Ecclesiæ fidelium acciderit, perfectio, quod cadebat humeris sustinet, & dum alij præ timore fugiunt, perfecti stant intrepidi, et si opus est, profuso cruore fidem testificantur, & virtutem tuentur. Ipsa est, quæ hominem magnum facit, magnum cogitationibus, magnum desiderijs, magnum operibus, vt sicut Deus ad hanc amicitiam cum viro perfecto tenendam descendit; ita hic à vilitate sua ad Dei cōsortium & participationem ascendat. Deus aliquid sibi reseruat, nimium gloriam sponsam suam, quia ita omnino opus est; at homo perfectus nihil, sed omnia in diuinam gloriam præstando, Deo profusè communicat. Perfectionem igitur charitatis assequi cœremus, quia sicut in aula regis terreni, nihil est familiaritate eius optabilius, quæ priuatus homo, regnat, & imperat, & gubernat, & omnibus magnatibus maior & celsior existimatur; ita in aula regis cælestis, nihil perfectione, aut excellentius, quæ homo fit Dei amicus familiarissimus, aut præstantius inuenitur.

*Quod perfectio est arctissima cognatio hominis cum Deo.*

CAPVT VIII.

**P**RINCIPES huius sæculi subditos nobiles curiæ suæ, honoris gratia solent vocare cognatos. Vocant quidem, sed non faciunt, quoniam si ipsi nobiles non sunt, ex stirpe regia progeniti, numquam consanguinei regis erunt, quantumvis aut consobrini, aut propinqui à rege vocentur. Dominus autem perfectos, & sanctos viros, non cognatos tantum, sed filios appellat, & non tantum appellat, sed filios suos facit, & non quouis modo filios, sed filios dilectissimos, & fidelissimos, & sibi quàm simillimos reddit. Ex quo alia multò maior dignitas perfectionis elucet, quod scilicet est hominis cognatio cum Deo, & cognationum omnium, quæ inter aliquos esse possunt arctissima, quæ homo non tantum propinquus, sed planè Dei filius, & Christi frater, & hæres regni cælestis constituitur. Perfectionem autem non iam seruos fideles, non amicos dilectos tantum, sed filios Dei homines facere Saluator noster Iesus Christus, apertè monstrauit. Qui cum perfectionem, aut perfectam charitatem commendasset, eâ scilicet, quæ tanto impetu, & voluntatis conatu in Deum feratur, vt ab eo resiliens non solum ad amicos veniat, verum etiam ad inimicos vsque transilier, hoc tantæ charitatis emolumentum proponit. Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum orti facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. ] Hæc ergo charitas cognatio hominis cum Deo est, & si ita loqui licet, filiaris, quæ hominum filium Dei facit, & ab eo spiritali quadam procreatione generatum constituit. Et sicut ipsa est celsitudo philosophiæ Christianæ, vt Chrylostomus ait, ita sublimiorem secum hominibus dignitatem affert, non ita, vt possideant terram, sicut mites, non vt consolationem, aut misericordiam accipiant, vt lugentes ac misericordes; non vt regnum cælorum, vt pauperes spiritu, & persecutione patientes, acquirant; sed (quod est multò præstantius & excellentius,) vt mirum sint filij Dei, qui eo ipso quod tales sunt, & ad regnū cælorum ius habent, & terræ sui cordis sunt Domini, & consolationis, ac miserationis diuinæ efficiuntur participes. ] Omnes quidem iusti, & gratiam habentes sunt adoptione filij Dei; quibus dicit Paulus: Quoniam estis filij Dei, milit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater. ] Et Ioannes: Quotquot autem receperunt eum, hoc est, per fidem Charitate formatam in suis cordibus admiserunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. ] Et alio loco: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Et Moses admonet, dicens: filij estote Domini Dei vestri, ] quod illi assequuntur qui sanctissimam Dei legem amplectuntur, & ab omni crimine se puros & incontaminatos custodiunt. Sed sancti, & perfecti aliquid amplius habent, quàm communes filij, propter quod præcipui Dei filij, & omnium dilectissimi, & aliis maiores vocandi sunt, quod nunc inuestigare debemus, vt hæc perfectionis dignitas probè cognita ingentem in nos sui amorem & desiderium inicit.

**Q**uo verò modo hanc perfectionem prærogatiuam intelligemus? Quæ via aut ratione eam explicabimus? Estne aliquid apud nos, quod huius rei notitiam mentibus legentium inferat? Est sanè; illud scilicet, quod in hominum domibus, atque familiis non semel aspeximus. Patres enim interdum solent generare filios, natura quidem sibi similes (nam si nature communionem non retinerent, non essent filij) sed aliis in rebus valde dissimiles. Ex patre sapiente prodiit filius stultus; ex robusto & forti, infirmus &

*Matth. 5.*

*Chrysostr. h. 18. in Matt.*

*Galat. 4.*

*Ioan. 1.*

*1. Ioan. 3.*

*Deut. 14.*

imbecillus

imbecillus promanuit: Est pater formosus, qui deformem filium genuit; est parcus, qui prodigo, & bonorum dilapidatori vitæ vltimam attribuit, & sic seruata naturæ vnitate inter patrem, & filium, in aliis maius solet esse discrimen, quàm si omninò inuicem essent extranei. At aliquando, imò & sapè, patris & filij non tantùm vna est natura, sed vna etiam corporis dispositio, vna animi propositio, vna rerum gerendarum prudentia, vna vox, vna progressio, & breuiter vna in reliquis similitudo, adeò vt quis viso filio, statim patrem agnoscat, & sine vllò magistro, ac attestate ab illo esse genitum deprehendat. Magna quidem est istorum filiorum differentia, qui licet in hoc conueniant, sine quo (vt diximus) filij esse non possent, quòd suorum patrum naturam acceperunt, tamen in aliis per omnia dissentiunt. Illi patrù conditionem non assequuntur, isti assequuntur: illi patres moribus non imitantur; isti imitantur: illi habent vnde à patribus non multum amentur, isti habent, vnde impensè, & tenerimè amentur: Illi suis moribus effrenatis patres mœore afficiunt; isti obedientia, & simplicitate sua patres lætitia sequuntur. Nam filius sapiens lætificat patrem, filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Id ipsum discrimen in filiis Dei, in iustis scilicet, & gratiam habentibus inuenimus. Omnes enim iusti adoptione (vt vidimus) filij Dei sunt, gratia & diuina naturæ participatione ei similes, sine qua homo, licet fidem habeat, & ad Ecclesiam, vt membrum, pertineat, & ratione fidei, & cultus diuini, quem habet, quodammodò possit dici filius, vt eum vocant Ambrrosius, & Augustinus; at si propriè loquendum est, melius dicitur seruus malus & piger, aut etiam inimicus: Sed horum Dei filiorum, quidam sunt velut filij parvuli, in quibus ferè nihil aliud, quàm participatio naturæ patris elucet; alij verò sunt filij maiores, in quibus iam vltra naturam patris etiam studia, & propositiones se ostentant; quidam sunt Patri Deo in multis similes, alij in omnibus præter gratia participationem ferè dissimiles. Quod discrimen Gregorius insinuat his verbis. Redemptor generis humani, quotquot fidei suæ & doctrinæ sacramentis instituit, ad inaccessibilem æternæ hereditatis gloriam tot filios facit. Qui enim instituitur in Ecclesia, quasi parvuli adhuc filij sunt, sed qui magnis meritis ei iam in virum perfectum occurrit, frater est Redemptoris. Tales nimirum beatus Paulus Apostolus collaudans, ait: Heredes Dei, cohæredes Christi. Ecce filios Dei parvulos, & filios magnos non ætate, sed meritis; quorum illos filius suo patri dissimilibus; istos verò filios patri similibus comparamus.

Iustos ergo imperfectos, & tepidos, & fææ puritatis modicam curam habentes, qui peccata quidem graui fugiunt, ne gratiam amittant, & leuia non fugiunt, & eorum fœditate maculari contemnunt, vocamus filios Deo dissimiles, qui filiorum appellatione contenti, se filios Dei operibus, & studiis exhibere non curant. Nam si Deus sapiens est, illi ignorantibus sunt, & planè pueri, qui mundi vilitates sonantes, & perstreptentes admirantur, & bonis, solidis, & veris anteponunt. Si Deus fortis, illi infirmi, qui oborta modica tentatione penè succumbunt, & indigent à Prælati molliter attractari, & multis dispensationibus sustineri. Si Deus pulcher, ipsi deformes, qui nec leuim peccatorum fœdritatè timent, nec imperfectionum maculas horrent, nec inordinatis affectibus, & nimio creaturarum amore se infici, & conspurcari metuunt. Si Deus liberalis, illi in Deum auari, & in creaturas immoderatè profusi, qui nec diuinis beneficiis, gratitudine, & obsequiis re-

A spondent, nec dona Dei ob terræ amorem perdere, dilapidare verentur. Denique Deus sanctus, & purus, ipsi puritatis contemptores; Deus ignis, ipsi gelidus; Deus magnus, ipsi pusilli, qui anima vitam spirituales amant, munditiem non amant; lucere appetunt, sed ardere contemnunt; & videri se aliquid non esse concupiscunt. O filij felices, & miseri; hæredes; & rei, patri vestro qui in cælis est, similes, & dissimiles. Felices, quia filij, quia gratiam habetis, & vitam animæ possidetis; & miseri, quia hanc vitam tam pretiosam meritis non cumulatis, & thesaurum istum augere parui penditis. Hæredes, quia si à gratia non exciditis, quæ in vobis multis periculis exposita est, regnum Dei tandem consequemini; & rei, quia indicibiles purgatorij cruciatus vos manet, quibus vestræ fœcordiæ pœnas per longum tēpus exoluetis. Similes Deo, quia spiritualiter viuentes, quia gratia animæ vitæ decorati, & in rebus magni momenti legis obseruatores; & dissimiles, quia nec Deo magis appropinquat nec sanctos imitari, nec ad perfectionem aspirare contenditis. Estis sicut filij regis, in misera seruitute positi, & à regni hostibus captiui & compediti, qui non regnant, sed seruiunt; non abundant, sed esuriunt, non regalibus indumentis fulgent, sed vilissimis, & sordidissimis pannis suam nuditatem operiunt. Sic vos filij estis regis æterni, quia nonnullam gratiam & charitatem, licet lægudam, & remissam habetis; at filij captiui & in calamitosa affectuum, & desideriorum vestrorum seruitute constituti, qui miseris amoribus rerum caducarum seruitis, diuinarum illustrationum, & consolationum famem & sitim patimini, & infami vitiorum indumento sordescitis. Vobis, si cum aliis Dei filiis, scilicet, cum perfectis conferamini, suo modo congruit, quod Dominus per Isaiam loquutus est. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabantur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlabitis. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis. Quamuis sitis filij, tamen quia non mihi fideliter, sed desideris veltis seruitis, ideò vos nec seruorum nomine (quod multò est ignobilius) dignos iudico, & vt vobis hanc fidelium seruorum nuncupationem adimam, ideò viros sanctos, nunc non filios, sed seruos appello. Perfecti ergo comedent, & bonorum operum cibo se reficient, & vos, nisi vitam mutetis, & ad perfectionem capessendam festinetis, famem huius panis suauissimi, qui cor hominis confirmat, sustinebitis. Illi vinum cœlestium consolationum bibent, & vos desolationibus, & mentis ariditate castigati, sitietis. Illi seruore suo incitant in me Domino suo lætabantur, & vos præ tristitia ab ignauia vestra proueniente erubescetis. Illi non semel defectuum præteritorum oblitri accipient tympanum, & chorum, & immensas mihi laudes cantabunt in chordis & organo; vos qui numquam infantie pannos exuistis, nec casibus, & defectibus vestris emendationem imponitis, si quando coram me ad orandum intratis, semper habebitis, quod ploretis, semper multas nouas offensas, quarum veniam cum lachrymis postuletis (& vix vobis si non postulabitis) & quarum gratia lugeatis. Illorum memoria cum laudibus, vestrum autem nomen putrescat, quia ad nihil aliud vestri memoria fiet, nisi vt maiores vos corripiant, & quales, quorum cordi proficere est, vos auerlentur, & minores vitam tepidam, & ignauam timeant. Hæc quidem Dominus, Ego autem dixi & iterum dico, Dñs estis, & filij excelsi omnes,

quia

Prou. 10.

22. 11.

Greg. lib. 4. in 1. Reg. ad c. 10. in illud: Dixit autē pater Saul.

Rom. 8.

Isa. 65.

Prou. 10.

Psal. 81.



quia substantiam charitatis non perdidit, & à Domino per graue crimen non separamini; veruntamen si non curatis proficere, & Christi similitudinem induere, forte à minoribus ad maiora prolapsi, sicut homines peccatores moriemini, & sicut vnus de superbis principibus à modicio, quod estis assequuri, cadetis.

1. Par. 3.

Imperfecti ergo, & tepidi, licet gratiam, & charitatem participant, sunt velut filij suo patri dissimiles, quos pater tam à se moribus distos videns, minus amat, & non sine nausea, & indignatione tolerat. Et sicut filius Dauidis, quem ex Abigail vxore suscepit, vocatus est Daniel, id est iudicium Dei, patre signum aliquod desiderante ex quo suus filius agnosceretur, & Nabal primo Abigail viro minimè deputaretur; quod & obtinuit, nam Dominus (vt dicitur) pueri faciem mutauit, & quam simillimam faciei Dauidis reddidit, & propterea deinceps vocatus est Cheleab, id est, similis patri. Ita quisque istorum tepidorum à Domino patre suo vocatur iudiciū Dei, quia Dominus optat, vt faciem mutet, & seculares mores in spirituales & caelestes conuertat, vt omnes eum Dei filium ex operibus; & vita cognoscant. Curat itaque faciem mutare, mores emendare, vitam tepidam & secularem abicere, & feruē, ac spiritualement assumere, & vocetur Cheleah, hoc est quasi pater, & similis patri, cuius pulchritudinem, & sanctitatem referat, cuius virtutibus imbutus, non iam figuram Adam terreni, sed Adam secundi, scilicet Christi saluatoris nostri imaginem porter.

2. Reg. 3.

Hoc igitur apprimè habent viri perfecti, & ob id vocandi sunt Cheleab, quia sunt filij Dei, non habitu gratiae, & charitatis tantum, non operibus iustitiae imperfectis solum, sed moribus perfectissimis, & virtutibus solidissimis caelesti patri similes. Possunt quidem sibi cum gratiarum actione, & humiliter vsurpare, quod Dominus noster Iesus Christus filius naturalis patris, de seipso testatus est: Qui videt me, videt & patrem; non credis quia ego in patre, & pater in me est. Ita & ipsi pro suo modulo, nō tam sermone quam operibus dicūt: Similes sumus patri; qui videt nos, videt & patrem; nos in patre, & pater in nobis est. Qui videbant Christum, & non per se ipsum, sed per humanitatem assumptam, videbāt diuinum Verbum, per eandem etiam humanitatem videbant Patrem, quia Patris & Filij vna est diuinitas, vna natura, vna substantia. At qui perfectos, & sanctos vident, Patrem vident, quia pulcherrimam eius imaginem vident, & moribus perfectorum impressam aspiciunt. In eis namque sapientia Dei lucet, qua sciūt reprobare malum, & eligere bonum; & cuique rei suū valorem, aut maiorem, aut minorem ascribere. In eis puritas Dei lucet, nam illius sententiae memores, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, hoc in primis summis conatibus quaerunt, vt mentis suae faciem purissimam gestent, & minimas quoque maculas & vix visibiles nequos diligenter abradant. In eis charitas Dei splendet, qua amicos sine vilo respectu lucrum amant, & inimicos ardentè diligunt, & omnia omnibus seipso efficiunt. Quis in sanctis non videt Dei magnitudinem, qua parua saeculi, & abiecta non curant; iustitiam, qua nulli iniuriam irrogant, & sua cuique dare contendunt; mansuetudinem, quia iniurias immoti sustinent, & pro eis non mala; sed bona referunt, fortitudinem, qua daemones tentationes vincunt, & omnia impedimenta assequenda perfectionis euentilant, occupationem, qua Deum iugiter contemplari, & ardentè amare sicut, & in omnibus se ei similes exhibere gestiunt. Breviter, omne quod malum est, constanter auersantur, & omne quod bo-

Leuit. 11.

num est, audissimè complectuntur, vt sic filij Dei, & perfectae imagines eius existant. Imago enim & similitudo Dei est (inquit Gregorius) in clyto odio malum odire, & amore perfecto Deū diligere, vnde malum odio habent, & Deum bonorum fontem, & omnia bona diligunt, dicentes: Iniquos odio habuimus, & legem tuam dileximus, ] vt se filios Dei & viuas imagines protestentur. Qui ergo videt eos tamquam in filius adoptatis, patri per virtutem simillimis, & tamquam in pulcherrimis imaginibus, videt & patrem, & aliquam stillam eius infinitae puritatis ac sanctitatis intelligit. Horum vna sollicitudo est, Christū primogenitum patris filium, & maiorem fratrem induere, eiusque virtutes, quantum possunt, in omnibus sequi, & actus imitari, & inde habet, vt sicut ille est perfectissima patris imago, ita & ipsi ad eius normam delineati, figurae etiam elegantissimae aeterni patris existunt. Eo autem ipso elogio filij naturalis Dei, non quidem ex a quo, sed quadā exigua proportione participat. De illo namque scriptū reperimus: Quonia quis in nubibus aequabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei! ] Ac si diceretur, nullum eorū prophetarum, qui dicuntur nubes, aut aliorum sanctorum, qui filij Dei appellantur, posse cum filio naturali, aut de prima sede contendere, aut illius aequalitatem vindicare. Sancti enim quantumuis caelestibus donis & puritate mentis excellent, sunt creaturae; Christus verò est Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum magnus & terribilis id est, virtute potentissimus, & reuerentia dignissimus, super omnes qui in circuitu eius sunt. ] Satis ergo est illis, si quodam modo naturalis filij honores & laudationes assequantur, prout ipse dignatur eas cum illis partiri, ex quibus magnam cū patre similitudinem, & eximia dignitate accipit.

Quae sunt autem Christi filij naturalis elogia? Illa quidem, quae Paulus in Epistola ad Hebraeos magnificentissimis verbis scribit. Nouissimè inquit, diebus istis locutus est nobis in filio, quē constituit haeredem vniuersorum, per quem fecit & saecula. Qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. O quam magna verba sunt ista, & quam mirabilia & planè stupenda sunt, quae de Christo fratre nostro maiore nobis enunciant. Ipse est Dominus, quia haeres, nō in aliquam partem substantiae Patris succedens, sed haeres vniuersorum. Ipse omnipotens, quia per eū Pater tamquam per exemplar, & per omnium rerum ideam fecit omnia, hinc significata per saecula. Ipse sapiens, quia splendor gloriae seipso manifestans gloriam ac maiestatem Patris. Ipse nobilis, quia sicut verus, & naturalis filius Dei, imago & figura substantiae eius. Ipse fortis, quia omnia sustinet, & omnibus naturam, & potentiam, & operationem tribuit. Ipse praeter omnibus dilectus, quia omnia peccata suis meritis de medio tulit, & vniuersas iniquitates deletuit. Ipse tandem tamquam naturalis filius, omnibus filiis adoptatis praepositus, atque praeratus, quia illis more seruorum stantibus, & ministrantibus, Christus vt herus eorum, & vt filius aequalis patri ad dexteram sedet, & in medio caelestis curiae throno Patris collocato, ipse dexteram, id est, eminentissimum praeter alios & amplissimum locum obtinet. Ecce filium similem patri. Nā si Pater est Dominus, filius omnibus imperat, & tamquam Dominus omnia possidet. Si Pater est omnipotens, filius omnia potest; cui data est omnis potestas in caelo & in terra. ] Si ille est sapiens, hic est sapientia genita, quae patris mysteria patefacit, atque declarat. Si ille est nobilis, hic etiam est nobilis, quia quorū est vna natura, & vna substantia, necessariō vna debet esse

nobilitas.

Greg. li. 2.  
in 1. Reg.  
ad c. 2. in  
illud, Vt  
offerat nū-  
mum ar-  
gentium.  
Psal. 112.

Psal. 82.

Psal. 82.

Hebr. 1.

Matr. 23.

nobilitas. Si ille fortis, hic est dextera & brachium Dei, à quo vniuersa opera virtutis & potentie procedunt. Si ille dilectus, quæ omnia appetit; hic dilectus & desideratus cunctis gentibus, in quem desiderant Angeli prospicere. Si ille omnibus in infinitum maior, quia ipse creator, & reliqua ab ipso creata; hic etiam omnibus maior, & excellentior, quia similiter est creator, non creator distinctus à Patre, sed idem creator, cum quo, & cum Spiritu sancto vno similiter cū Patre & filio creatore, vniuersa fabricavit. Hæc omnia secundum quandam proportionem sanctis, & perfectis conueniunt, ut non solum filij Dei, sicut reliqui iusti, sed filij quoque Patri valde similes inueniantur. Illi sunt Domini, qui per ventissimam mundi contemptum omnibus dominantur, de quibus scriptum est: Quia iudicabit nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Illi potentes, qui virtute orationis diuinam voluntatem secuntur, & quasi filij tenerini gemitibus, & lachrymis omnia impetrant, & sibi ipsi diffidentes, in Deo autem fiducia constituentes, omnia possunt in eo, qui illos confortat. Illi sapientes, qui non terrena, sed æterna sapiunt, & scientiam sanctorum probe callent, quæ Deum sibi placare sciunt, ut ab eo filiorum hæreditatem accipiant. Quibus illud proceriorum cõuenit: Gloriam sapientes possidebunt. Illi nobiles, quorum Pater Deus est, quorum fratres Angeli sunt, quorum occupatio est nobilissima atque dignissima, Deum Patrem suum cõtemplari, Deum amare, non sibi ipsis, non rebus terrenis, non inordinatis affectibus, sed Deo suo in cõstitis seruire. Illi fortes, quos non demonum illusiones proterunt, non tendicula aduersarij prosternunt, sed in bello aduersus carnem, & sanguinem victores, & superiores existunt. Illi dilecti, quos Deus, ut charissimos filios amat, Beata Virgo, ut natos pulcherrimos diligit, sancta Ecclesia, ut pretiosissimas gemmas, quibus illustris, & splendida, ac decora procedit, cordi habet. Ipsi denique sunt alii Ecclesie filii meliores, & pulchriores, quia curiam Dei ornant, palatium æterni regis aedificant, & nobilitatem Ecclesie cõstituunt. Vide quo pacto perfectio est arctissima cognatio cū Deo quæ perfectos viros, non vtrumque filios Dei facit, sed filios charissimos Dei & patris simillimos, & coniunctissimos efficit. Qui, ut filij Dei, & hæredes regni cœlestis omnibus virtutibus tamquam regalibus indumentis vestiuntur; & cibis delicatissimis sanctorum desideriorum & piarum cogitationum reficiuntur, & Angelis velut regis ministris cinguntur, & patris sui occupationes scilicet diuina contemplatione delectantur; & nihil aliud querunt, nisi Dei similes esse, & in omnibus Dei filios, & seruos, ob diuinum honorem apparere.

Hanc nos Dei similitudinem filiorum charissimorum propria appetamus, in qua nullum est superbiae periculum, sed magnam inuenitur meritum augmentum. Lucifer quidem deliquit, & à dignitate, in qua creatus erat, deiectus est, quia Dei similitudinem sibi vitam cõcupiuit, dicens: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Primi etiam nostri parietes, eandem similitudinem appetentes, & verbo illo decepti: Eritis sicut Dij sciētes bonum & malum, & sibi & nobis diuinæ gratiæ similitudinem perdidērunt, & solam Dei imaginem animæ impressam, & illam oblitteratam, aut fœdatam cõseruauerunt. At nos non timeamus hanc similitudinem filiorum appetere, quæ homini, aut Angelo interdicta non est, sicut illa, quæ aut Angelus, à seipso, & non à suo creatore habere illam magnam dignitatem appetiuit; aut homo scientiam sibi non conuenientem affectauit. Ad hanc similitudinem appetendam, imò & accipiendam, nobis à Deo facultas concessa est: Nam quotquot receperunt eum,

Sapient. 3.

Prou. 3.

Isa. 14.

Genes. 3.

A inquit Ioannes, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hanc litera sacra nos monent: omnia autem facite, inquit Paulus, sine murmurationibus, & hesitationibus, ut sitis sine querela, & simplices filij Dei. Imò, ut pulchre annotauit Hieronymus, non est exhortatio vehementior, quam, qua nos Scriptura filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat, tanto Patre agere aliquid indignum, ut qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitij seruus? Et idcirco adiungit: Ut simus immaculati. Neque enim cõuenit in filiis Dei, quia ipse est fons iustitiæ peccati maculam reperiri. Hanc Dei cognationem, & similitudinem appetere summa sapiētia est. Nam quid rogo sapientius, quam Deum Patrem habere, qui te filium agnoscat, ut filium aliat, ut filium à peccatis eripiat, ut filium diligat, & ut filium in confortium Christi filij sui, atque in participationem æternæ hæreditatis admittat? Enitatur ergo ita viuere, ut simus filij Dei: Filij non Patri dissimiles, non degeneres, sed qui perfectionis assequendæ cura, patris nostri, qui est in cœlis, virtuti respondeamus, & eius perfectionem imitemur. Filij, qui non erubescamus Deum patrem vocare; non timeamus Deum genitorem habere, quod non timebimus, si puritas mentis nostræ filios Dei nos esse cõfiteatur, & similitudo diuina in nobis virtutibus, tamquam viuus coloribus delineata, nos ab eo natos, ac progenitos esse testetur.

Ioan. 2.

Philip. 2.

Hier. epistola 1. ad Demet. ad mediū Tom. 9.

Quod perfectio est maxima vno inter animam, & Deum.

CAPVT IX.



I C E T magna sit amicitie, & cognationis copulatio, qua homo Deo, ut familiarissimo amico, & ut optimo parenti coniungitur, alia tamen est multo maior, & (si dici potest) intimior, quæ perfectioni etiam competens, eam mirifice exaltat, & in altiore dignitate euehit. Ea autem est coniunctio sponsi & sponsæ: aut viri, & vxoris, qua viri, & vxor non iam duo manent, aut voluntatum assensione concordēs, aut sanguinis vinculo colligati, sed ita quid vnum effecti, ut ex viro, & vxore, non duæ carnes, sed vna tantum caro resultet. Vnde primus nostri generis parens magna asseueratione pronunciat: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna. Dictum verò serui Dominus ipse confirmat: Itaque ait, iam non sunt duo, sed vna caro: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Paulus quoque magistrum sequitur, dicens: Viri debent diligere vxores suas, ut corpora sua: Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: Nemo enim carnem suam odio habuit. Hanc ergo vniõnem inter Deum, & animam similiter perfectio facit, quæ non tantum est necessitudo inter duos amicos intercedens, non tantum cognatio patrem, & filium sanguinis communione deuinciens, sed etiam est castum, sacrumque connubium, quo Deus sponsus animæ, & anima Dei sponsa, & coniux efficitur. Non sumus autem obliuisci eorum, quæ supra diximus, statum religiosum istam habere virtutem, ut coniugium spiritale sit, quod Deum anime copulet, & animam Deo tamquam sponso coniungat. Hoc perfectio ita est, sed aliud est, quod status fert; aliud verò quod vita exigit, aut conuersatio requirit. Sicut enim inter homines non semel accidit, ut quæ statu, & obligatione est vxor, aut sponsa, vita, & affectu sit adultera, &

Genes. 2.

Matr. 19.

Ephes. 5.

Iob 1.

inimica; ita in vita religiosa potest, & solet accidere, vt anima, quæ statim, & professione est sponsa Dei, amore, & vitæ conuersatione non sit Dei sponsa, & (quod ad mores attinet, aut cordis affectum) aut hæc summâ dignitatem non habeat, aut habitâ non per status dimissionem, sed per fidelitatis ruptionem amittat. Perfectionis igitur proprium est, animam sponfam Dei facere, non tã statim quam vita, quia eos mores, eas virtutes, eum amoris affectum infert, qui sponfam Dei consentaneus sit, qui animam vt sponfam charissimâ Deo copulet, & omni virtutû genere, vt sponfam Dei decet, ornent atq; circundet. Hinc Hugo Victorinus non omnem animam religiosam sponfam Dei vocat, sed eam dumtaxat, quæ sancta sit, atq; perfecta. Qui plus diligit, inquit, velocius currit. Precurrit sponsa, id est, anima perfecta; subsequuntur adolescentulæ, id est, minus perfectæ. Recte quidem hic pater animâ perfectam sponfam censet, imperfectam verò nõ vocat sponfam sed adolescentulam: quoniam si istæ nuncupationes à vita ipsa, & à recta actione sumende sunt, æquû est, vt inæqualis, & diuersa actio diuersum nomen habeat, & imperfectior vita moderatius nominetur, & perfectior sublimiorè nuncupationem accipiat. Hinc in canticis canticorum, tot sunt fœminarum diuersitates, & hæc quidem adolescentulæ, illæ verò reginæ, aliæ concubinæ nominantur, & vna sola, vt sponsa loquens, & amore languês introducit, quia videlicet Scriptura illa amatoria tot rerû spiritualium mysteriis referta, debuit cuilibet vitæ spiritualis gradui, suum nomè accommodatum imponere, & animæ perfectæ nobilissimâ sponfam appellatione assignare. De qua in quodâ loco dicit: Sicut liliû inter spinas, sic amica mea inter filias. Non minus enim perfectò solet esse aliquando inter perfectos, imperfectosq; discrimen, quorû isti suis imperfectionibus & inordinatis affectibus, quasi quibulcâ spinis fratres pungunt; illi verò mori sanctitate, & bonæ vitæ odore omnes exhilarant, & ad amorem rerum cœlestium accendunt.

Est itaque perfectio connubium animæ, & Dei, quoniam animam Deo iungit, non tam statim, quam opere & morum similitudine, & eam tam felici coniugio dignam reddit. Deus autem, qui cuique animæ sui copiam facit, secundum quod digna est, & secundum quod eam, aut minus dispositam, aut magis preparatam reperit, absq; dubio eam ducit sponfam, quam acquisita puritas, ac vitæ sanctitas talibus nutriis dignam efficit. Inquiramus ergo, quæ sint necessaria, vt anima sit sponsa Dei, & ea omnia animæ perfectæ inesse conspiciemus, non ab aliqua speciali virtute, sed ab ipsa perfectione concessa. Quæ igitur in anima desiderari possunt, vt sit sponsa Dei? Certè (si secundum ruditatem nostram loquamur) eadem quæ in aliqua virgine exigentur, vt à potentissimo rege terreno in vxorè duceretur. Hæc verò quæ sunt? Primò, vt illa virgo sit nobilis, & illustis, & regis aliquius filia, aut ex stirpe regia progenita. Deinde, vt sit pulchra, quæ ingenua venustate oculos regis capiat, & illum ad sui amorem alliciat. Rursus, vt procedat splendide ornata, cuius indumenta, & gemmæ mundum muliebrem ancillarû longè superet, & tum pretio, tum decore post se relinquat. Præterea, vt vna illam cura sollicitet, regem amare, regi obsequi, regem blanditiis delinire. Adhæc, vt sit fidelis ei, & nulli homini in corde suo ingressum tribuat, nullumq; alium nisi sponsi sui amorem admittat. Insuper, vt sit fecunda, quæ filios hæredes regni concipere, & parere possit, & nutrire, atq; ut ingenuè educare sciat. Demum, vt sit prudens, & fortis, cui libenter omnes deferant, quæ nouerit domum regiam gubernare, imò & rege se absentate, & in regionem longinquam

A abeunte, vniuersam rempublicam regere. O felix virgolò meritis imperatrix, & regina! o supremi regis consortio dignissima! Hanc quilibet rex quantumuis potentissimus sponfam ambiet, vxorem concupiscet, & amore delinitus, non solum nullâ aliam amabit, sed nec quidem respiciet. Hæc nõ potestantis vi, sed amoris virtute, quæ est multò violentior, imperabit regi, & eum suæ voluntati subiiciet. Talis erat Apame, cuius potestas super regem Darium his verbis scripta legitur. Credite mihi, quia magnus est rex in potestate sua, quoniam omnes regiones verentur tangere eum. Videbam tamen Apamen filiam Bezacis, mirifici concubinam regis, sedentem iuxta regem ad dexteram, & auferentem diademata de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu. Et super hæc aperto ore intuebatur eam, & si ariserit ei, ridet: nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reuertatur in gratiam. Non mirabimur ista, nec fabulas reputabimus, si illorum sententiæ consentimus, dicentium, quoniam omnibus fortior est mulier, quæ sit virgo, & rursus virgo, quæ non mendacis seruit, sed collum veritati omnia gubernanti submittit.

Nullum istorum animæ perfectæ deficit, imò cuncta sine vlla exceptione habet, quare digna censenda est, quæ sponsa Dei sit, quæ vt regina iuxta illum se deat, & vt coniux regis, bona incomprehensibilia possideat. Nam si perfectio, & sanctitas (vt supra ostendimus) est sanctæ Ecclesiæ nobilitas, non erit creditu difficile, quod anima perfecta sit nobilis, quam non splendor generis clarificat, sed lux virtutis exornat.

C Neque enim nostrum est (vt Gregorius Nazianzenus ait) ac ne Philosphi quidem, eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis, & sepulchris, superciliosq; iam pridem corrupto, ac putrefacto manat: nec eam, quæ in sanguine & diplomatibus comparatur, quippe quâ noctes afferat, ac regû in nobilium quoque fortasse manus, nobilitatè velut quiddâ aliud impetrantiû, atq; decernentiû, sed eam demum nobilitatem intelligo, quâ pietas, vitæq; sanctimonia, ascensusque ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus insculpsit. Hac verò nobilitate verissimam omnes animas clare perfectas, dubiû non est, quippe quæ à Deo ipso, non solum substantiæ, sed & virtutis originè trahant, & reges cœli, scilicet sanctos, & principes Ecclesiæ, scilicet iustos, & Dei amicos patres, & fratres habeant, & vt nobiles ac generosi magna cogitè, magna concupiscant, & abiecta mûdi cõtènant. Et si perfectio est ipsa anime pulchritudo, quis dubitet animam perfectâ esse pulcherrimâ, quæ alias animas iustas, sed imperfectas, sicut luna minimas stellas puritatè cogitationû, sanctitate desideriorû, & feruore bonarû actionû excellit. Eam Dominus quotidie aqua compunctionis lauat, & exercitio mortificationis purificat, vt in dies pulchrior & formosior existat. Ideoq; Dominus apud Zachariâ, apparet infidès equo rufo, & stas inter pulchra myrteta, quæ hortis pulchritudinè & gratiam adiciunt. Vidi, inquit, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo. Nã sicut myrti expilantur, vt pulchra fiant, & gratiam hortis addant; ita animæ perfectæ instar myrtorum decoræ & odorifere in hac valle lachrymarû constitutæ, assidua mortificatione expilantur, & tribulationibus affliguntur, vt quotidie pulchriores euadât, & sanctæ Ecclesiæ horto gratiæ & decorem adiciant. Multiplicate sunt infirmitates eorum, ait sanctus Dauid, postea accelerauerunt. Quia istæ animæ multiplicatis afflictionibus tamquam stimulis accelerant mundum muliebrem virtutum exquirere, & se maiori pulchritudine

eumulare.

Hugo lib.  
2. de nu-  
prijis spiri-  
tualibus.  
c. 2.

Cant. 2.

3. Esdræ  
4.

Nazian.  
orat. in  
laudem  
Heronis  
Adaripis.

Zachari.

Psalm. 15.

cumulare. Nec etiam dubium est, quin perfecta anima pretiosissimis virtutum indumentis, & inestimabilibus donorum gemis ornata procedat, cuius ornatus aliarum animarum minus perfectarum virtute obscurat. Nam hec est perfectionis natura, ut una cum sit, omnes virtutes in gradu perfecto contineat, & nihil vile, nihil abiectum, nullam scilicet virtutem, aut remissam, aut tepidam, aut decurtatam comprehendat. Quantum ergo hic ornatus virtutes imperfectorum superabit, quae passionum immoderantiam, non plene vincetes innumeris defectibus, & perturbationibus aditum patientem relinquunt. Non sufficeret anime perfecta, o frater, ista tua minima humilitas, quae nunquam bene honorem saeculi conculcauit, nec laudationes ab hominibus oblatas, & perturbationibus aditum patientem relinquunt. Non sufficeret tua obedientia, quae in rebus speciosis, & facillimis pareret; at in abiectis & difficilibus statim exultationes praeferret. Non sufficeret tua mansuetudo, quae modico verbulo impetita, aut minima persecutione probata, contristatur, & mentis tranquillitatem amittit. Ista vestes, istae gemae seruatorum sunt, & hominum imperfectorum; at vestes sponsae, virtutes perfectae animae multo pretiosiores, & pulchriores existunt, tales quidem, quae sponsam in magnis occasionibus stabilem reddant, tentationibus acerrimis resistent, & cordis affectus perfecte cohibeant. Quamobrem animabus perfectis dicitur per Hoseam: Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiae, innovate vobis novale, tempus autem requirendi Dominum. Ac si dixisset, si quidem vobis datur opportunitas requirendi Dominum, & gratia abundantissima quaerendi faciem eius conceditur, ita laborate, ut Dominum inveniatis, & ad solium eius, id est, ad perfectionis fastigium ascendatis. Hoc autem fiet, si ita seminatis, ut non quaecumque iustitiam, sed perfectam iustitiam colligatis; si ita metatis, ut non modicam gratiam, sed ad os misericordiae, & quantum volueritis accipiat; si ita vitia eradiceis, ut irruentibus etiam saevissimis tentationum procellis, perfecta virtus auxiliis diuinis, & magnis laboribus comparata vincat, & non victa, & prostrata succumbat.

Est etiam anima perfecta obsequiis, & amore sollicita, quam non fragilitas corporis hebetat, non rerum temporalium cura detinet, non inordinatum visibilibus amor retardat, quominus Deum quaerat, & affectibus sanctae dilectionis insistant. Eius cura est, non opes sed virtutes; non gaudia, sed flagella; non domum terrenam, sed caelestem habitationem inquirere. Dicit nobis ipsa quid optet? Sanè illud quod in Psalmo scriptum est: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Viarum nomine mandatorum cognitionem, & semitarum voce consiliorum intelligentiam exposcens. Dicit adhuc quid cupiat? illud profectò quod est in Iob: Indica mihi cur me ita iudices, flagellorum & dolorum causas inquirens, ut si ea fortassis est minima aliqua mandati transgressio, aut consilij incuriosa praetermissio, eam corrigat, & Domini iudicium, & castigationem aufugiat. Pergat tandem explicare, quid desideret? Certè illud cantorum: Indica mihi quem diligit anima mea ubi pascas, ubi cubes in meridie. Locum passionis indicare sibi postulat, ne fame pereat, quae simul & sponsa, & ovis est, sed ferculis spiritualibus ipsa pascatur. Locum quietis monstrari sibi petit, ut in eo sponsum sanctitate placet, oratione flectat, amore delinuat. Pulchrè, inquit Bernardus, in sponsae prerogativam concurrunt pariter omnia haec ad consummationem virtutum, ut de forma iustitiae sit formosa, de iudiciorum notitia, cauta; de desiderio praesentiae seu gloriae sponsum, casta. Talem prorsus decet esse sponsam Do-

mini, pulchram, eruditam, & castam. Quae igitur haec desideria, hos conatus habet; & contemptis mundi rebus, his curis intendit, sollicita est, non sibi ipsi famulari, sed constanter, ac diligenter sponso servire. Haec autem haud dubie erit fidelis Deo, quia non solum in eum credit, & in eo spem suam collocat, sed & integrum ac indituptum amorem in ipso constituit. Ideoque confidenter ait: Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Quid enim est ego dilecto meo, nisi ad hoc nata sum, ut sponsum meum sciam, sponsum meum diligam, sponsum meum in contemplatione complectar, & pro eius amore omnia creata, & visibilia contemnam. O felix anima, quia fidelis, nam si verè dicis; ego dilecto meo, audies, & ad me conuersio eius. Audies, & experieris, & tuae fidelitati, hanc mercedem recipies, quod fidelis sit tibi Deus. Quod ipse te protegat, ipse te diligit, ipse te ornet, ipse omnia quae ad te spectant, prouideat, & tamquam ad sui honorem pertinètia respiciat. Iam experta intelliges illud: Dilectus meus mihi, & ego illi. Prius dilectus intendit tibi: Nam in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Et misericordia eius praeueniet me. Inde autem habes, ut sis fidelis, ut ei solum intendas, ut ei totam te tradas, & nullam ab eo amoris tui partem subtrahas, quia aut nihil praeter eum amas, aut si quid aliud amas, non contra ipsum, nec praeter ipsum, sed propter ipsum amas, ut ei scilicet placeas, & ipsius sanctissimis iussis obedias.

Hanc animam tam sollicitam, tam fidelem quis audeat dicere sterile esse, quis neget esse fecundam? Verè ista licet scientiarum nostrarum ignara, licet talentorum naturalium vacua, licet praedicationis dono destituta, ex solo sponsi complexu spirituales filios generabit, & multos solo vitae exemplo, & orationis efficacia in virtutis desiderium & amore adducet. Huius vox inerudita docet, opus monet, & vel solus aspectus dormientes excitat, torpentes stimulat, & dueros, proteruosque compungit. Et sicut ille serpens aeneus in deserto per Moysen exaltatus sola sui ostensione à serpentibus percussos se aspicientes sanabat; ita ista, quae imago viva est eiusdem Christi; quem serpens figurabat, solo exemplo, & opere aliis ostenso, eos reprehendit, & à vitis, ac peccatis abducit: Hanc animam existimo à propheta delineatam esse cum ad Dominum ait: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae: filij tui sicut nouellae oliuarum in circuitu mensae tuae. Bene vxor, quae in omnibus viro suo Christo subiecta est. Bene vitis, quae non otiositate agricolae, sed magna adhibita diligentia, & non modicis impensis fructificat. Quae talis est, anima perfecta est, & nequaquam erit sterilis, sed domum, aut cenobium, quod inhabitat, filiis sibi similibus id est, imitatoribus suae virtutis, & feruoris implebit, qui tamquam nouellae oliuarum plantationes domum odore edificationis replent, & ex matre scilicet ex anima illa sancta pabulum spirituale recipiant. Ut hoc autem aliquo exemplo, ex innumeris quae offerri possent, lector intelligat, seraphicam animam Francisci consideret, quam videbit sola sanctitate fecundam, & penè infinitis filiis à se genitis, & Christo sponso suo procreatis circumdatam. Hic enim sanctus vir, ut abundantissima vitis in Ecclesia fructificans, & palmites suos, non folijs tantum, sed botris onustos usque ad fines orbis terrarum extendens, quoniam fructificauit quoniam tot filios generauit? An diuitis ille, cuius vxor charissima erat sancta paupertas? An generis claritate ille, qui nec patrem voluit sibi nominare in terris? An literis, & scientiis ille, qui nec literas didicit, nec penè scholas adiit, & diuina luce inebriatus,

Cant. 7.

Cant. 1.  
1. Ioan. 4.  
Psal. 58.

Num. 21.

Psal. 127.

Hosea 10.

Psal. 24.

Iob. 10.

Cant. 1.

Bern. ser.  
13. in cat.

omnem humanam literaturam contempserit. Non, sed perfectione sola, & vite puritate sola fecundus effectus ostendit, quam apta generandis filiis sit sponsa Dei, qui habitare facit sterile in domo, matre filiorum latentem.] Quod si sponsus ab hac domo, scilicet ab Ecclesia se quodammodo ablenet, si dormiat, & interrim valida procella consurgat, si tribulationes, si hereses, si alia mala grassari permittat, quis proteget hanc domum? Quis gubernabit eam? quis tranquillitate impetrabit? Certe perfecta anima cuius precibus, & lachrymis flexus Dominus, prelatos animat, doctores roborat, milites ad bellum excitat, aut per seipsum imperat veris & mari, & obmutescere facit, ut sciamus quia venti & mare obediunt ei.] Civitas parva, inquit Salomon, & pauci in ea viri, venit contra eam rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gymrum, & perfecta est obsidio.] Hanc est Ecclesia, parva, quia humilis, parva, quia pulillus grex, parva, quia licet multi vocati, pauci vero electi. In ea licet multi sint homines, at pauci in ea viri, qui scilicet instar virorum fortes sint, & robur, ac virtute habeant, ut eam ab inimicis defendat. Venit contra eam rex magnus, cum diabolus bellis, & heresibus Ecclesiam oppugnat. Quis ergo liberabit urbem? quis hostes auertet? Inuetus est in ea, inquit, vir pauper, & sapiens, & liberauit urbem per sapientiam suam.] No vir diues, & potes liberat urbem, quia no multi sapientes secundum carnem no multi potetes, no multi nobiles hoc faciunt, sed infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.] Sed vir pauper & sapiens Ecclesiam tuetur, ille, qui pauper est spiritu, ille, qui sapiens est, per sapientiam Dei, ille, qui ad sanctitatem subiectus, fiducia petendi conquisiuit & gratiam accepit impetrandi, ille Dominum placat, & robur militibus, & prudentiam, ac industriam ducibus impetrat, ut nauiculae penes submersam a seculis procillis eripiatur. O quam sepe experta est Ecclesia, quod aliquando populus ille Iudaicus in numeris expertus est, qui vnus viri deprecatione ira Dei repulit, & sibi immines malu effugit. Vnde in libro sapientie legimus: Propter as homo sine querela deprecati populus, prof. res feruitutis sue scutum, oratione, & per incensum deprecatione allegans, restitit irae & sine imposuit necessitati, ostendens quonia tuus est famulus.] Quis est hic, qui manu Dei extenta tenet, iram cohibet, flagellum infringit: Homo sine querela, vir innocens, & sanctus, qui nulli iniuriam irrogat. Vir cuius oratio est velut scutum, quod hostium sagittas excipit, ne infirmos percutiat. Vir cuius anima no timet, ut ancilla, sed audet, ut vxor, & resistit per humilitate & oratione se Deo, ne in peccatores sequatur, & iniquos seuerie puniat. Vir iste opponit se irae Domini, & sine imponit mortis necessitati, quo ostendit se multum apud Deum posse, & propter eum alios ab ira Domini liberari. Vnus Ezechias expansis regis Assyriorum literis coram Domino orat pro ciuitate Ierusalem, & liberata est, & audiuit: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.] Vnus Iacobus Nisibita monachus & Episcopus (apud Theodoretum) regi Saporis vrbis, cui preerat, expugnati, se (Deo ita disponente) habitu imperatoris indutus, & diademate redimitu ostendit: in cenia collapsa preter omnium opinionem restituit, & hostibus populatis suas oues ab excidio eripit. Vna Agatha patriae suae liberationem impetrat. Et ideo Angeli sarcophago eius insculpuit, Metem sanctam, spontaneam, Deo honore, & patrie liberationem.] Ex quibus cognoscimus quantum utilitatis Ecclesie afferat sancti, qua suis intercessionibus ab innumeris malis defendunt. Si ergo anima perfecta hanc vitam, & hos mores habet proprios sponsae Dei, certu est quia Dominus cum

A ea, non tamquam cum ancilla se geret, sed quasi cum sponsa, quam sibi spirituali connubio copulabit, & tota Angelis, & Sactis sibi cum gaudio in vxore accipiet. Hinc fiducia Agnetis, & Catharine martyru Christu suum sponsum vocatum. Hinc gratia mirabilis Catharinae senenti a Christo facta, qua eam coram Beata Virgine Maria, & aliquot sanctis sibi despondit, & ea qua femineus sexus impediabat, virtus celestis expediuit, ut animas ad suu sponsum vocaret. Hinc donum eximium aliis animabus perfectis prerogatum, quo ardentissimum zelu domus Dei in se sentiunt, & ac si essent Christi sponsa, no solum illu amat, sed domum eius ad id vocata gubernat, filios nutrit, seruos corrigunt, du infideles, aut peccatores conuertunt, superlectile augent, & omnia sapieter, sancteq; disponunt.

B Ista que sunt, nisi spiritualis sponationis indicia, quia, quas sibi Dominus per purissimu connubium adiunxit, ad opera sponsae vrget, & ad curas suas domus exfulcit. Non itaq; erramus, aut presumimus dicentes, quod anima perfecta est sponsa Dei, qua ipse castissimo amore sibi copulat, & estibus donis subarat, spiritus sancti prole fecundat. Bona sponsa, qua no intendit sicut Eua viru suum decipere, sed magis curat ab eo in omnibus erudiri. Bona sponsa, que no offert sponso suo pomum, ut ipsum cotristet, sed poma noua, & vetera scilicet sanctoru antiquoru, & recentium imitatione, quo ipsum gaudio, & exultatione afficiat. Bona & prudens sponsa, que sponsum gratia, & innocentia non spoliatur, sed ab ipso ornata gratia, & innocentie conquirat. Que ornata Laurentius Iustinianus ita describit, ut ea vniuersis iustoru, & amicorum donis preferat, & alia preterea nulli, nisi sponse cocella esse putet. Quorum gratia apud Hoseam desponsata verbo in misericordia, & misericordibus dicitur. Et credite mihi quia magnus est rex in potestate sua, eu quo tamquam cum vniuersali Domino & Creatore, nulla creatura potest coferri. Sed hanc sponsa ta omnibus numeris absoluta, multum apud eum potest, in cuius regnum post hac peregrinationem deportata ad eius dexteram, id est, in loco magna felicitatis, sedebit, & si non diadema, at splendoru propriu sponsae regis vlturpabit. Hanc regem manibus, id est, operibus permulcebit, quam aperto ore, quasi amore captus aspiciet, & eius precibus flexus, faciet qui quidam ipsa petierit. Hec dignitas sponsae tanta est, ut vilis creatura no audeat, ad illam desiderium attollere. Satis enim illi est, si ancilla Dei sit, & sicut vna de ancillis domus Domini illi fideliter seruiat, & aliis coferuis se subiciat. Veru est hoc: enitatur anima seruire Deo, & omnibus se per humilitate supponere, & ut ancilla pedes Domini lauare lachrymis, & in nouissimo loco recumbere. Domini autem erit, quando illi placuerit, qua modestia, & humilitatis amatricem viderit, ad primam sedem vocare, & ex osculo pedu, ad osculu manus, simo & ad purissima oscula oris erigere. Tria hucusq; maxima bona perfectionis agnouimus; alteru, quod amicitia est cum Deo inita, alteru, quod cognatio est, no vno sanguine, sed similibus virtutibus copulata: tertiu, quod vnio Dei & anime est, non a comixtione carnis, sed ab spiritu amore, & eommunione profecta, Que tria bona, licet omnibus viris perfectis indifferet ascribatur, ita tamen possunt gradibus diuersis distinguui, ut amicitia actiuorum perfectorum sit, quorum est in suis actionibus voluntati Dei se accommodare: cognatio contemplatiuis perfectis congruat, qui tamquam filij curant Deum tranquillitate metis, & assidua memoria diuinorum imitari: vnio vero mixtis perfectis conueniat, qui ut sponsae charissime habet coreplationis amplexus, quibus sponsum astringat, & actionis ventrem, & vbera, quibus filios enutriat, & sponso propinant.

Psal. 112.

Matth. 8.

Eccles. 9.

Eccles. 9.

1. Cor. 1.

Num. 16.

Sap. 18.

Isa. 37.

Theod. in hist. sanct. in Iacobo 1.

Suuius in spiriti.

Iustin. lib. de casto connubio c. 17. Hosea 2.